DE DIS IGNOTIS

OBSERVATIONES SELECTAE

COMMENTATIO PHILOLOGICA
QUAM AD VENIAM LEGENDI
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE HALENSIS
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATAE
RITE IMPETRANDAM
SCRIPSIT

OTTO WEINREICH
CAROLIRUHENSIS

HALIS SAXONUM MCMXIV

SONDERABDRUCK
AUS ARCHIV FÜR RELIGIONSWISSENSCHAFT
XVIII 1915 S. 1 ff.

DRUCK VON B. G. TEUBNER IN DRESDEN

Argumentum

Praefatio

Ex quo tempore Eduardus Norden in libro illo gravissimo et clarissimo „Agnostos Theos" inscripto in sermonis religiosi formas legesque inquisivit atque ethnicorum, Iudaeorum, Christianorum genus dicendi in oratione sacra adhibitum exemplis uberrimis illustravit, viri docti tam philologi quam theologi, ut erant animis summopere excitatis, non mediocriter versabantur in disceptandis quaestionibus a Nordeno initis. Ac plurimum de priore libri parte disputabant, quae est de sermonis in Actis apostolorum c. 17, 22 sqq. traditi genere atque indole, de dis ignotis, de ara Atheniensi a Paulo commemorata, de Apollonii Tyanei oratione Atheniensi. Totam hanc materiam, quam lectoribus notam esse pono, denuo pertractare usque eo non in animo habeo, ut nil aliud instituturus sim, nisi pauca quaedam proferre, quae, cum censuram meam de egregio Nordeni libro conscripsi (Deutsche Literaturzeitung 1913 p. 2949 — 2964), accurate exponere nequivi. Ea, quae illic non nisi tangere vel statuere potui, iam enucleatius explicare et argumentis confirmare liceat.

Sed priusquam propositum meum peragam, restat ut pauca de novissima in hisce studiis commentatione praemoneam. Quo tempore Theodori Birt prodiit disputatio, cui inscripsit „*Ἄγνωστοι θεοί* und die Areopagrede des Apostels Paulus" (Rhein. Mus. LXIX p. 342 sqq.), opusculum meum amplissimo philosophorum Halensium ordini iam traditum erat; ideo aut consensum aut dissensum ubique indicare necesse non visum est, praesertim cum non nisi in levioribus unum idemque sentirem ac vir ille doctissimus, in gravioribus autem quam maxime dissentirem. Velut de tituli Hieronymiani fide ambo dubitamus, verum uterque aliis de causis (cf.

infra cap. E). Deinde inter gnosticorum deum ignotum et ignotos deos, quos Graeci colebant quibusque aras ponebant, distinguendum esse ego quoque in censura mea (DLZ l. l. p. 2959 sq.) iam indicavi et exposui quomodo cum omnium deorum cultu cohaerere videretur ignotorum religio posterioribus demum temporibus exorta. Sed recte eo institisse mihi videor, quod dixi nullum testimonium antiquius esse quam gnoseos quae dicitur initia: „Erst als die hellenistischen, von orientalischen Vorstellungen stark durchsetzten religiösen und philosophischen Strömungen mit den Begriffen der Gnosis und Agnosia *θεοῦ* auch den des Agnostos Theos zu weiter Geltung gebracht hatten, erst dann tritt die polytheistische Fassung dieses Gottesbegriffes ergänzend zu jenen allgemeinen Weihungen, die die Gesamtheit aller nur möglichen Götter umfassen sollen, hinzu. Dabei büßt sie freilich den spezifisch spekulativen Charakter ein: die *ἄγνωστοι θεοί* der Altäre im *πάνθεος περιβωμισμός* sind nicht so sehr 'unerkennbare' Götter, als vielmehr 'die unbekannten Götter'. Den Beweis für die Richtigkeit der Entwicklung, wie ich sie hier vermute, sehe ich darin, daß alle überlieferten Altarweihungen jünger sind als die Anfänge der antiken Gnosis" etc. Quodsi Birtius omnino negat aras *ἀγνώστων θεῶν* inscriptas exstitisse, hac in re eum aperte errasse dicendum esset, etiam si testimonio Pergameno careremus (cf. infra cap. G). Ut cetera, de quibus ipse non acturus sum, missa faciam, tamen silentio transire non licet interpretationem Philostrati Apoll. Ty. VI 3, quam Birtius proposuit. Id enim recte vir doctissimus disputasse videtur, cum dicit, offendendum non esse in eo, quod apud Aethiopes occasione arrepta de Atheniensium religione verba fiunt, ea autem eo modo, quo hodie leguntur, procedere non posse, sed excidisse aliquid ante verba *καὶ ταῦτα Ἀθήνησιν*. Corruptelam melius indicavit quam emendavit Birtius, qui parum feliciter *καὶ ταῦτα* ⟨*μάθοις ἄν*⟩ vel ⟨*εὕροις ἄν*⟩ *Ἀθήνησιν* coniecit. Speciosius Franciscus Boll scribendum esse suadet: *κατὰ τὰ Ἀθήνησιν* (Aus der Offenbarung Johannis. *ΣΤΟΙΧΕΙΑ* I, Lipsiae 1914 p. 141 adn. 1: 'Zu *τὰ Ἀθήνησιν* „das in Athen Vorgefallene" vgl. Philostrat. v. soph. p. 80, 23 *τοιαῦτα μὲν οὖν αὐτῷ τὰ Ἀθήνησιν*'). Eduardus Norden (Agnostos Theos p. 42) quaesiverat „wozu in aller Welt über athenische Frömmigkeit auf dem Nil geredet werde". Qua in re eum effugit, non modo hoc loco, sed alibi quoque exempla Atheniensia libentissime sive ab Apollonio sive a Damide sive ab aliis comparari cum rebus vel hominibus in terris peregrinis obviis.

Ac recte deinde Birtius l. l. p. 348 ad Philostr. VI 6 et VII 21 relegavit, quorum locorum prior eo gravior est, quod agitur de Aethiopibus cum Atheniensibus comparandis. Sed latissime eiusmodi comparationes valere exempla docebunt subsequentia, e quibus, ni fallor, quid de ignotorum deorum arae mentione iudicandum sit, statim elucebit. De hac enim re quam maxime dissentio a Birtio neque video, qua alia ratione solvi possit quaestio nisi ea, quam indicavit Eduardus Norden.

Iam exemplis probemus a Philostrato res peregrinas comparari solere cum Atheniensibus.

I 7 Tarsorum luxuria opponitur Atheniensium sapientiae. I 29 rex Persarum, cum Apollonium virum Graecum et sapientem venire audivisset, statim Themistoclis Atheniensis recordatus est, qui et ipse Graecus olim ad regem Persarum venerat. I 35 Apollonius in catalogo exemplorum primum nonnullos viros praeclaros Athenienses affert, deinde Damidem interrogat (p. 37, 8 K.) *σὺ δ' ἴσως ἡγῇ τὸ ἐν Βαβυλῶνι ἁμαρτεῖν ἧττον εἶναι τοῦ Ἀθήνησιν ἢ Ὀλυμπιάσιν ἢ Πυθοῖ, καὶ οὐκ ἐνθυμῇ ὅτι σοφῷ ἀνδρὶ Ἑλλὰς πάντα;* Ubique ergo si viro sapienti Graecia est, non miramur eum ad Nilum quoque de rebus Atheniensibus loqui. Deinde apud Indos II 10 non modo *ἄορνος πέτρα* similem de Parthenone historiolam in mentem revocat, sed etiam montes, ubi Indorum sapientes habitant, cum Acropoli comparantur (III 13). Simulacra pervetusta, quae Indi venerantur, Graecorum deorum esse imagines, Minervae Poliados aliorum, statim comperimus (III 14). III 17 Iarchae hymnus, quem cum Indis cantat, cum Sophoclis celeberrimo paeane, quem Athenis Aesculapio cantant, comparatur. III 31 Apollonius cum Indorum rege disputat de Atheniensibus Athenisque. Aethiopum *γυμνούς* cum Atheniensibus comparari (VI 6) iam Birtius monuit; Bollius ad coniecturam suam firmandam adhibere potuit Philostrati verba: *γυμνοὺς δὲ ἐστάλθαι κατὰ ταὐτὰ τοῖς εἰληθεροῦσιν Ἀθήνησι* (cf. etiam III 13). Paucis capitibus post Thespesio gymnosophista in disputatione de animalium cultu cum Apollonio habita ad Socratem Atheniensem relegat (VI 19). Idem Thespesio deinde in dialogo de iustitia ad Athenienses revocat, iterum Socratem commemorat, multa de Aristide disputat (VI 21). Ad VII 21: *Ἐνταῦθα ὁ Δάμις ἀπομνημονεύει ἔργον ὅμοιόν τε καὶ ἀνομοίον τῷ ἐπ' Ἀριστείδου ποτὲ Ἀθήνησιν* iam Birtius relegavit, eum autem effugit non modo VI 3 iuvenem castum, scilicet Timasionem, cum Hippolyto quodammodo comparari, sed etiam Romae

Apollonium in carcere iuvenem collaudasse, quod castitatem Domitiani insidiis minime morigeratus servavisset. Hoc quoque loco Apollonius Hippolyto exemplo usus est (VII 42 p. 295, 12 sqq.): *ξυνεὶς οὖν ὁ Ἀπολλώνιος „σὺ μὲν οὐδ' ἡλικίαν πω τοῦ ἀδικεῖν ἄγων καθεῖρξαι", ἔφη „καθάπερ ἡμεῖς οἱ δεινοί". „καὶ ἀποθανοῦμαί γε", εἶπε „τὸ γὰρ σωφρονεῖν θανάτου τιμῶνται οἱ ἐφ' ἡμῶν νόμοι." „καὶ οἱ ἐπὶ Θησέως", εἶπε „τὸν γὰρ Ἱππόλυτον ἐπὶ σωφροσύνῃ ἀπώλλυ ὁ πατὴρ αὐτός." „κἀμέ", εἶπεν „ὁ πατὴρ ἀπολώλεκεν"*, ubi verba *καὶ οἱ ἐπὶ Θησέως* (sc. *νόμοι*) luce clarius Athenas spectant. VIII 16 Apollonius Olympiae cum iuvene Atheniensi colloquitur et Harmodii Aristogitonisque mentionem facit. Id quoque afferre possumus, provinciae Baeticae anni tempora comparari cum Atticae (V 6).

Quibus exemplis probatur res vel homines externos adeo libenter cum Atheniensibus comparari, ut consuetudinem quandam late valentem cognoscamus. Atque haud scio an de *τόπῳ* rhetorico cogitare liceat. Nonne rhetorum praeceptor Lucianeus praescribit (rhet. praec. 18): *κἂν περὶ ὑβριστοῦ τινος ἢ μοιχοῦ λέγῃς Ἀθήνησι, τὰ ἐν Ἰνδοῖς καὶ Ἐκβατάνοις λεγέσθω· ἐπὶ πᾶσι δὲ ὁ Μαραθὼν καὶ ὁ Κυναίγειρος, ὧν οὐκ ἄν τι ἄνευ γένοιτο*? In vita Apollonii etsi non ad Marathona vel Cynaegirum relegatur, attamen aliae res non minus notae tritissimaeque comparationis causa adhibentur. Re vera tritissimae? Sane Parthenon, Acropolis, Socrates, Aristides, Theseus, Hippolytus[1] etc. nemini ignoti erant. Sed quomodo, quaero, fieri potest, ut aeque ac res haece tritissimae adhibeatur remota illa ignotorum deorum ara, res adeo singularis ac speciosa? Nemo, ni fallor, negabit de ea comparatione prorsus aliter iudicandum esse ac de ceteris exemplis notisimis. Quomodo explicari potest, ut ad rem per se parum notam revocare potuerit Apollonius Philostrati quasi ad notissimam, paucis verbis ac velut in transcursu eam commemorans? Nullam aliam explicationem video nisi eam, quam ingeniosa divinandi arte detexit Nordenus. Si iam Apollonius arae Atheniensis dis ignotis inscriptae mentionem fecerat tituloque usus erat ad insignem Atheniensium reli-

[1] Hippolytus heros Trozenius est, sed eum nominari potuisse Atheniensem recte monet Carolus Robert. Nam *Ἀφροδίτῃ ἐπὶ Ἱππολύτῳ* Athenis iam quinto a. Chr. n. saeculo culta est, cf. Eurip. *Hippol.* 29 sqq., *IG* I 212, 1 sq. Senecae fabula non ut Euripidea Trozene, sed Athenis scenam habuit, itemque prior ille Euripidis Hippolytus, cf. M. Mayer *De Euripidis mythopoeia*, Diss. Berol. 1883 p. 69 sqq.

gionem illustrandam[1], tunc facile fieri potuit, ut Philostratus illius orationis memor Apollonium eandem rem brevi tangentem et quasi in transcursu commemorantem induceret. Haud aliter Franciscus Boll, Birtium in eo quidem secutus, quod *καὶ ταῦτα Ἀθήνησιν* corruptum esse censet (cf. supra p. 2), iudicat (in epistula ad me missa): „wenn *κατὰ τὰ Ἀθήνησιν* dastand, so ist das bei Philostrat eben gleichwohl ein Zitat aus Apollonios' Athenischer Rede — und ist also die Sache auf dem gleichen Fleck wie bei *κατὰ ταῦτα*."

Apollonium ad deos ignotos animum advertisse ob eam denique causam veri dissimile non putaverim, quod cum dis visibilibus et invisibilibus rem habebat. Philostratus I 32 eum dicentem facit (p. 33, 23): *σοφία δὲ ἐμοὶ Πυθαγόρου Σαμίου ἀνδρός, ὃς θεούς τε θεραπεύειν ὧδέ με ἐδιδάξατο καὶ ξυνιέναι σφῶν ὁρωμένων τε καὶ οὐχ ὁρωμένων φοιτᾶν τε ἐς διάλεξιν θεῶν.* Qua in re quomodo Pythagorae exemplo usus sit, elucet e primo Philostrati capite de Pythagora narrantis (p. 1, 11 sqq.): *ξυνεῖναι γὰρ δὴ τοῖς θεοῖς καὶ μανθάνειν παρ' αὐτῶν, ὅπῃ τοῖς ἀνθρώποις χαίρουσι καὶ ὅπῃ ἄχθονται, περί τε φύσεως ἐκεῖθεν λέγειν· τοὺς μὲν γὰρ ἄλλους τεκμαίρεσθαι τοῦ θείου καὶ δόξας ἀνομοίους ἀλλήλαις περὶ αὐτοῦ δοξάζειν, ἑαυτῷ δὲ τόν τε Ἀπόλλω ἥκειν ὁμολογοῦντα, ὡς αὐτὸς εἴη* (cf. Apollinem papyri Gissensis, infra cap. H: *ἥκω . . . οὐκ ἄγνωστος Φοῖβος θεός*), *ξυνεῖναι δὲ καὶ μὴ ὁμολογοῦντας τὴν Ἀθηνᾶν καὶ τὰς Μούσας καὶ θεοὺς ἑτέρους, ὧν τὰ εἴδη καὶ τὰ ὀνόματα οὔπω τοὺς ἀνθρώπους γιγνώσκειν.*

---

[1] Quam orationem Athenis re vera habitam et ab Apollonio in libro *περὶ θυσιῶν* commemoratam esse cum Nordeno persuasum habeo. Contra eam a Damide fictam esse ex argumentis parum certis effecit Petrus Corssen, qui et ipse censet Philostratum VI 3 illius orationis meminisse (*Zeitschrift für die Neutestamentliche Wissenschaft* XIV 1913 p. 309 sqq.). De arae memoria Philostratea Corssen optime p. 313 iudicat: „. . . die Tatsache selbst ist so obskur, daß man nicht begreift, wie darauf die Rede als auf etwas allgemein Bekanntes kommt. Die Frömmigkeit Athens ist seit alters ein stehender Punkt des Lobes. Aber die Begründung, die hier dafür gegeben wird, daß die Athener sogar unbekannten Göttern Altäre gebaut haben, ist ein ausgesuchter Gedanke, und daß dieser hier, wo er uns zum erstenmal in der Literatur begegnet, wie ein locus communis behandelt wird, ist ein sicheres Zeichen, daß er nicht von dem Schriftsteller selbst, zum mindesten nicht an dieser Stelle, gefunden ist."

A Pausanias quid de Misericordiae ara Atheniensi dicat

Saepius oratores de rebus divinis disserentes vel ab inscriptionibus altarium statuarumque vel a monumentorum religiose cultorum mentione exordium sumpsisse compluribus exemplis evicit Eduardus Norden in libro clarissimo, cui inscripsit „Agnostos Theos, Untersuchungen zur Formengeschichte religiöser Rede“ (cf. p. 401 s. v. Altaraufschriften).[1] Cuius rei novum exemplum, ex quo ni fallor aliquem fructum percipimus, eo magis afferre iuvat, quod de Athenis agitur et de ara, quam Athenis viator vidit. ‘Paulus’ — si quidem fas est Paulum apostolum nominare rhetorem illum, quem in areopago loquentem facit Actorum apostolorum redactor — et, ut equidem cum Nordeno persuasum habeo, iam ante eum Apollonius Tyaneus aram Atheniensem ignotis dis sacram commemorantes cives propter insignem deorum timorem religionemque collaudaverunt, cf. Norden p. 44sq. Ne hoc quidem in exemplo, quod e Pausaniae Graeciae descriptione allaturus sum, deest. Pausanias enim consuetum periegetis dicendi genus secutus hoc quoque loco *θεώρημα* et *λόγον* coniungit[2] et, postquam de Misericordiae ara locutus est, laudes Atheniensium deos diligentissime colentium addit. Liceat ipsius Caroli Robert verbis uti (Paus. p. 341): „Den Schlußeffekt der Marktbeschreibung bildet eine Rarität, der Altar des Mitleids, der zu einem längeren *λόγος* über die Gottseligkeit der Athener Anlaß gibt. Die Stelle ist für den Autor so charakteristisch, daß sie vollständig hergesetzt zu werden verdient I 17, 1: *Ἀθηναίοις δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ ἄλλα ἐστὶν οὐκ ἐς ἅπαντας*

[1] Lipsiae 1913. Quem librum aeque ac commentationes conscriptas a Ricardo Reitzenstein (*Neue Jahrbücher* XXXI 1913 p. 146—155; 393—422) et censuram Guilelmi Werneri Jaeger (*GGA* 1913 p. 569—610) lectoribus notas esse pono; non ubique ad eas relegavi.

[2] Robert *Pausanias als Schriftsteller*, Berolini 1909. Pasquali *Hermes* XLVIII 1913 p. 161 sqq.

ἐπίσημα καὶ Ἐλέου βωμός, ᾧ μάλιστα θεῶν ἐς ἀνθρώπινον βίον καὶ μεταβολὰς πραγμάτων ὄντι ὠφελίμῳ μόνοι τιμὰς Ἑλλήνων νέμουσιν Ἀθηναῖοι. τούτοις δὲ οὐ τὰ ἐς φιλανθρωπίαν μόνον καθέστηκεν, ἀλλὰ καὶ θεοὺς εὐσεβοῦσιν ἄλλων πλέον (καὶ γὰρ Αἰδοῦς σφισι βωμός ἐστι καὶ Φήμης καὶ Ὁρμῆς) δῆλά τε ἐναργῶς ὅσοις πλέον τι ἑτέρων εὐσεβείας μέτεστιν, ἴσον σφίσι παρὸν τύχης χρηστῆς. Und so stolz ist er auf diese Reflexion, daß er bald darauf 24, 3 noch einmal auf sie Bezug nimmt."[1]

Omittamus quaerere, quae ratio intercedat inter aram Misericordiae aramque duodecim deorum aeque in foro sitam, quam unam eandemque fuisse atque illam Udalricus de Wilamowitz coniecit; omittamus Pausaniam solis ex omnibus Graecis Atheniensibus Misericordiae cultum tribuentem erravisse, cum Epidauri quoque Ἐλέου βωμός exstiterit[2]; id vero animo perpendamus Pausaniam iisdem verbis uti ac Paulum: θεοὺς εὐσεβεῖτε ἄλλων πλέον, deinde πλέον τι ἑτέρων εὐσεβείας ∼ act. apost. 17, 23 ὃ οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, antea σεβάσματα. Quod maximi est momenti, cum vox εὐσεβεῖν rarissime inveniatur in NT neque unicus praeter illum locus, ubi exstat, scilicet I Tim. 5, 4 οἶκον εὐσεβεῖτε, apte comparari possit, id quod iam Ricardus Reitzenstein[3] contra Adolfum Harnack

---

[1] Λέλεκται δέ μοι καὶ πρότερον ὡς Ἀθηναίοις περισσότερόν τι ἢ τοῖς ἄλλοις ἐς τὰ θεῖά ἐστι σπουδῆς· πρῶτοι μὲν γὰρ Ἀθηνᾶν ἐπωνόμασαν Ἐργάνην, πρῶτοι δ' ἀκώλους Ἑρμᾶς ⟨ἐποίησαν⟩, ὁμοίως (Thiersch et Robert p. 283 adn. 1, ὁμοῦ codd.) δέ σφισιν ἐν τῷ ναῷ Σπουδαίων δαίμων ἐστίν. Pausanias non ut supra voce εὐσέβεια, sed voce σπουδή utitur, nimirum propter daemonis nomen statim afferendum. Quae cum ita sint, prorsus prohibemur, quominus daemonis nomen coniecturis attingamus. Quis fuerit ille Σπουδαίων δαίμων nescio (virorum doctorum sententias modo congessit Hoefer, *Roscher Lex.* IV 1411 sqq.); at Pausaniam pro voce εὐσέβεια verbum σπουδή non positurum fuisse nisi nomen Σπουδαίων iam in animo habuisset, confidenter contendo.

[2] Arula nobis quidem Epidaurum excavantibus innotuit (*IG* IV 1282); at quaeso Pausaniae quoque nota esse aut debuit aut omnino potuit? Recentioris enim aetatis videtur esse.

[3] *Neue Jahrbücher* 1913 p. 412 adn. 2.

monuit. Quae cum ita sint, novum ni fallor e Pausaniae verbis supra laudatis lucrati sumus argumentum, quo et Apollonium Tyaneum et Paulum in areopago disserentem uno eodemque *τόπῳ* rhetorico usos esse demonstratur.

Aliam denique addam similitudinem. Act. apost. 17, 18 Epicurei et Stoici philosophi de apostolo, quem contemnunt, dicunt *τί ἂν θέλοι ὁ σπερμολόγος οὗτος λέγειν*; Iam Norden p. 333 adnotavit eam vocem esse *λέξιν Ἀττικήν* („aus attizistischer Gelehrsamkeit" Reitzenstein p. 415). Quid quod Apollonius Tyaneus in disputatione illa, quam in Piraeo de deorum simulacris verecunde colendis habuit, verbo *σπερμολογεῖν* usus increpat superstitiosos?[1]

B De Diogenis quae fertur epistula XXXVI et de epigrammatis Graeci historia

Quid de titulo *ἀγνώστῳ θεῷ* in Actis apostolorum laudato iudicandum sit quaerentes non sine fructu explorabimus fidem ceterarum inscriptionum, quibus in diatribis usi sunt auctores ab Eduardo Norden p. 31 sqq. citati. Quas inscriptiones commenta temere ficta, ex arbitrio rhetorum otiosorum nata, a veritate prorsus absona ducamus an plerasque earum si non veras, at certe veris similes esse censeamus? Exemplis diligenter examinatis primum quidem inveniemus a rhetoribus inscriptiones vel simulacra vel alias res ad deorum cultum spectantes adhibita esse aut re vera existentia aut probabiliter ficta. Deinde, si quid in titulis laudandis immutaverunt, eos non sine certo consilio ac proposito egisse intellegemus. Exempla e Maximo Tyrio, Minucio, Apuleio allata, quippe in quibus nihil a probabilitate abhorreat, omittam[2] statimque de Diogenis epistula, quam Norden p. 50 attulit, dicam.

Agitur de epistula XXXVI, quam nescio quis prima im-

---

[1] V 20 p. 180, 3 *καὶ μὴν καὶ σπερμολογοῦσιν ἔνιοι τῶν ἀνθρώπων κτλ.* [2] Cf. quae *DLZ* p. 2955 exposui.

peratorum aetate conscripsit fortasse ipsius Diogenis scriniis usus.[1]

Diogenes postquam Cyzicum venit et ubivis portas inscriptas vidit hoc epigrammate[2]:

Ὁ τοῦ Διὸς παῖς καλλίνικος[3] *Ἡρακλῆς*
ἐνθάδε κατοικεῖ, μηδὲν εἰσίτω κακόν[4],

[1] Cf. Capelle *De Cynicorum epistulis*, Diss. Gott. 1896 p. 40 sq., 43 sqq., qui ad Diogenis illud de Hercule *παίγνιον* relegat.

[2] Etsi Diogenem terras urbesque peragrantem contra historiae fidem fictum esse nemo non concedit (cf. praeter alios G. A. Gerhard *Arch. f. Rel.-Wiss.* XV 1912 p. 408), tamen non est, cur negemus illud epigramma Cyzici quoque exstare potuisse. Herculem enim antiquitus cum Cyzico coniunctum fuisse fortasse inde apparet, quod urbis heros eponymus implicatus est in Herculis historiam fabularem. Monumentis Cyzici repertis Herculem cultum esse probatur inde a saec. VI, itemque nummis; in titulis sane raro deus occurrit. At nimium a Fortuna inscriptionum dea omnipotenti exigeret is, qui epigramma nostrum lapidi incisum desideraret Cyzici. Testimonia de Hercule Cyzici culto, quibus Diogenis quae fertur epistula addenda est, collegit Hasluck *Cyzicus*, Cambridge 1910, p. 161. 238. 276. De nummis nuper egit J. de Fritze *Nomisma* VII 1912 p. 6 sqq.

[3] Cf. Appendicem I.

[4] De incantamentis magicis portam aedemque tuentibus cf. R. Heim *Fleck. Jahrb. Suppl.* XIX p. 509 sq. O. Weinreich *Athen. Mitt.* XXXVII 1913 p. 66 sq., de ritibus magicis ante portam adhibitis Eitrem *Hermes und die Toten* p. 14 sqq., Gruppe *GM* 805 adn. 2; 1296 adn.; Samter *Geburt, Hochzeit, Tod* p. 189 sq. [Optime de Judaeis Christianisque eodem more ianuas tuentibus egit neque ethnicorum consuetudinem neglexit F. X. Doelger *ΙΧΘΥΣ* I p. 239 sqq. (*Römische Quartalschrift, Supplement* XVII 1910), cuius in copias cum incidissem opusculo meo iam absoluto, non ubique ad eum relegavi.] — Epigramma idem valet atque imago Herculis *Καλλινίκου*, *Ἀλεξικάκου*, *Ἀπαλεξικάκου*, *Σωτῆρος* ante portam posita, cf. quae l. l. de Apolline Propylaeo dixi. Herculem nominatum fuisse *Προπύλαιον* etsi testimonio firmari nequit, tamen conicere licet, cum e nummis Smyrnaeis Hercules Prophylax et ex inscriptione Latina *CIL* V 5534 Hercules Anteportanus innotuerint. Hercules *Πρόμαχος* quoque huc facit, quem quamdiu tutelae sibi adfore speraverint ethnici inde velim appareat, quod in ultima inter christianos paganosque pugna ad Frigidum commissa Eugenii exercitui Herculis imaginem, Theodosii vero crucis signum antelata esse Theodoretus memoriae tradit, *hist. eccles.* V 24, 4; 17; cf. Seeck-Veith *Klio* XIII 1913 p. 454 adn. 2.

cum praetereunte Cyziceno colloquitur et eum interrogat, quo spectent versus. Ac primum quidem more cynicorum facete iocatur, deinde seriora agens quaestionibus attingit hominum de deorum natura opinionem nimis rudem atque simplicem, cum dicit: *διὰ τί, εἰ ὑμᾶς ὠφελεῖ τοῦτο, οὐχὶ ταῖς πύλαις ἐπεγράψατε αὐτὸ ταῖς τῆς πόλεως*[1], *ἀλλὰ ταῖς οἰκίαις, εἰς ἃς μηδὲ χωρῆσαι δύναται ὁ Ἡρακλῆς;* et: *πῶς ... ὁ Ἡρακλῆς εἷς ὢν*[2] *ἐν τοσαύταις δύναται παροικεῖν οἰκίαις;* En habes argumenta haud dissimilia illis, quibus postea christianorum apologetae ethnicorum polytheismum eorumque de deorum statuis opinionem impugnaverunt.[3] Quodsi Diogenes epigrammate utitur, ut ex eo insignem Cyzicenorum stultitiam aperiat, id forsitan quodammodo ad illum *τόπον* revocandum est, de quo Norden egit; nam ut in exemplis supra allatis ex inscriptione laudata insignem incolarum *εὐσέβειαν* concluserunt, ita in Diogenis iocis inscriptio ad probandam civium stultitiam usui est (*κινδυνεύει γὰρ τοῦτο τὴν μωρίαν τῆς πόλεως ἐνδείκνυσθαι*). Cyzicenus Diogenis argumentis commotus cynicum rogat, ut aliam inscriptionem eamque faustiorem (*εὐφημοτέραν ... ἐπιγραφήν* — ne hoc quidem neglegendum est) proponat. Diogenes Herculis loco *Πενίαν* nominari mavult; quae cum Cyziceno non arrideat, metro neglecto scribendum censet

Δικαιοσύνη ἐνθάδε κατοικεῖ, μηδὲν εἰσίτω κακόν.

Iam laetus Cyzicenus Herculem tot hominibus tantopere probatum non exstinguit, verum Iustitiam adscribit.[4]

---

[1] Ibi enim dei *Προπύλαιοι* saepius et dei *Προαστιανοί* semper inveniuntur, cf. Höfer *Roscher Lex.* III s. v. Proastianoi, Prophylax, Propoleos, Propylaios; *Athen. Mitt.* l. l.

[2] Cf. Luciani *dial. mort.* 16.

[3] Velut Arnob. VI 19, cf. Weinreich *Heilungswunder* p. 157, RGVV. VIII 1.

[4] *Συνεπιγράψω δὲ τὴν Δικαιοσύνην.* Diogenes *μεταγραφὴν* proposuerat, at civis superstitiosus non modo leviorem sed etiam utiliorem, ut putat, *ἐπανόρθωσιν* praefert. De t. t. *μεταγράφειν, ἐπανόρθωσις* cf. Norden 122 sqq., *DLZ* 1913 p. 2957. Bellum similis *μεταγραφῆς* exemplum afferre liceat eam ob causam, quod ab Apollonio Tyaneo proponitur, cf.

Qua de causa epistulae tantum tribuerim auctoritatis, nemo non videt; videlicet hic quoque agitur de titulo sacro, a quo sermo ad rectam deorum colendorum rationem spectans exordium sumit agiturque de immutatione inscriptionis tralaticiae, quippe quae parum conveniat cum altiore de dis opinione. Cui ut accommodaretur epigramma antiquitus traditum, pro Hercule averrunco Iustitiam substituendam esse censuit Diogenes, quo facto versus superstitiosos ut ita dicam philosophos moralesque reddit. Quid quod Romani eosdem versus in suum dicendi genus verterunt, nec non Christiani eandem inscriptionem recipientes Christianam effecerunt Christi nomine pro Herculis illato? At priusquam de ultima hac versuum metamorphosi dicamus, ab ovo historiam illius epigrammatis non invenustam incipiamus ac primum quidem testimonia, deinde titulos testimoniis scilicet recentiores, tum imitationes et versiones, denique immutationes in medium proferamus.[1]

Diogenis epistulam ampliorem, quam ut totam exscribam, primo loco positam invenies, non quod in ea genuinum atque antiquissimum apophthegmatis textum agnoscam — immo exornatus et amplificatus est, cum simpliciorem eumque fortasse authenticum exhibeat exemplum sub Ib allatum —, sed quod

---

Philostr. *vit. Apoll.* II 14 p. 58, 2 sqq. K.: *ὑπολαβὼν οὖν ὁ Δάμις „ξυγχωρεῖς οὖν“ ἔφη, „τὸν Εὐριπίδην ἐπαινεῖν ἐπὶ τῷ ἰαμβείῳ τούτῳ, ᾧ πεποίηται αὐτῷ ἡ Ἀνδρομάχη λέγουσα* (v. 419 sq.) *'ἅπασι δ' ἀνθρώποις ἄρ' ἦν | ψυχὴ τέκνα';“ „ξυγχωρῶ“, ἔφη „σοφῶς γὰρ καὶ δαιμονίως εἴρηται, πολλῷ δ' ἂν σοφώτερον καὶ ἀληθέστερον εἶχεν, εἰ περὶ πάντων ζῴων ὕμνητο.“ „ἔοικας“, ἔφη „Ἀπολλώνιε, μεταγράφειν τὸ ἰαμβεῖον, ἵν' οὕτως ᾄδοιμεν· 'ἅπασι δὲ ζῴοις ἄρ' ἦν | ψυχὴ τέκνα'. καὶ ἕπομαί σοι, βέλτιον γάρ.“*

[1] Recepi ea quae et Heim l. l. p. 509 et Preger *Inscr. Graec. metr.* no. 213 contulerunt. Diogenis dictum facetum etiam posterioribus temporibus epigrammatistas imitatos esse asseverat Nauck *Philol.* V 1850 p. 560 („ein von vielen neueren Epigrammatisten kopierter Scherz“), neque tamen exempla addit. Mihi nullum in propatulo est. Nil nisi Menagii animadversionem laudare possum ad Diog. Laert. VI 39 adnotantis: „Hoc dictum tribuit Castruccio Castracani Macchiavellus: 'vedendo che uno aveva scritto sopra la casa sua in lettere latine, che Dio la guardasse da' cattivi, disse, E bisogna che non v'entre egli.'“

illo testimonio ceteris enucleatius et accuratius edocemur, quo consilio quaque consuetudine commoti homines epigramma ianuis inscripserint. Conferas velim eas quoque epistulae partes, quas ne longior sim exscribere supersedeo.

I Epigramma in apophthegmatis obvium

a) Diog. epist. 36 p. 249 Hercher: *Ἧκον εἰς Κύζικον καὶ διαπορευόμενος τὴν ὁδὸν ἐθεασάμην ἐπί τινος θύρας ἐπιγεγραμμένον·*

ὁ τοῦ Διὸς παῖς καλλίνικος Ἡρακλῆς
ἐνθάδε κατοικεῖ, μηδὲν εἰσίτω κακόν.

ἐπιστὰς οὖν ἀνεγίγνωσκον καὶ παρερχόμενόν τινα ἠρόμην· „τίς ἢ πόθεν ὁ ταύτην τὴν οἰκίαν οἰκῶν;" ὁ δέ με δόξας πυνθάνεσθαι διὰ τὰ ἄλφιτα ἀπεκρίνατο· „φαῦλος ἄνθρωπος, ὦ Διόγενες· ἀλλ' ἀπάναγε ἐνθένδε." κἀγὼ πρὸς ἐμαυτόν· „ἀλλ' ἔοικεν" ἔφην „οὗτος, ὅστις ποτ' ἔστιν, ἐξ ὧν λέγει ἑαυτῷ τὴν θύραν ἀποκλεῖσαι." καὶ μικρὸν προελθὼν ἑτέραν θύραν θεωρῶ τὸ αὐτὸ ἰαμβεῖον ἔχουσαν ἐπιγεγραμμένον. „ἐν ταύτῃ" ἔφην „τίς ἐστιν κατοικῶν;" „τελώνης" εἶπεν „ἄνθρωπος ἀγοραῖος ὤν." „ταύτην οὖν αἱ τῶν πονηρῶν" ἔφην „θύραι μόνον ἔχουσι τὴν ἐπιγραφὴν ἢ καὶ αἱ τῶν σπουδαίων;" „πάντων" εἶπεν κτλ.

b) Diog. Laert. VI 39; Arsenius p. 206, 5 sqq. Walz; Diog. frg. 118 Mullach Ph. Gr. F. II p. 311; Heim l. l. no. 138; U. de Wilamowitz, Griech. Lesebuch I p. 39 no. 43: *Εὐνούχου* (*ἀνθρώπου* Nauck, Philol. V 1850 p. 560) *μοχθηροῦ ἐπιγράψαντος ἐπὶ τὴν οἰκίαν* (*Μοχθηροῦ τινος ἐπὶ τῆς θύρας ἐπιγράψαντος* Wilamowitz l. l.)

Μηδὲν εἰσίτω κακόν

„ὁ οὖν κύριος" ἔφη „τῆς οἰκίας ποῦ εἰσέλθοι" (*εἰσέρχεται* Wilamowitz); Cod. Pal. Gr. 297 f. 118[r] falso de Demosthene tradit quod in Diogenem cadit, cf. Sternbach, Wien. Studien XI 1889 p. 239.

Clem. Alex. strom. VII 4, 26 Staehlin III p. 18: *Ἀστείως πάνυ ὁ Διογένης, ἐπὶ οἰκίᾳ μοχθηροῦ τινος εὑρὼν ἐπιγεγραμμένον·*

ὁ καλλίνικος Ἡρακλῆς
ἐνθάδε κατοικεῖ· μηδὲν εἰσίτω κακόν

„καὶ πῶς“ ἔφη „ὁ κύριος εἰσελεύσεται τῆς οἰκίας;“

Theodoret. Graec. affect. curatio VI 20 p. 155 Raeder: *οὕτω πάλιν οὗτος* (sc. Diogenes) *ἐν οἰκίᾳ τινὸς μοχθηροῦ ἐπιγεγραμμένον εὑρών·*

ὁ τοῦ Διὸς παῖς καλλίνικος Ἡρακλῆς
ἐνθάδε κατοικεῖ· μηδὲν εἰσίτω κακόν

„καὶ πῶς“ ἔφη „ὁ κύριος εἰσελεύσεται τῆς οἰκίας;“

Epigrammatis partem tantum Diogenes Laertius exhibet, plenius Clemens, completum Theodoretus. Qui unde suppleverint non difficile est dictu; minime enim alios fontes, apophthegmatum dico syllogas, adhibuerunt, sed ex ipsius epigrammatis tralaticii et longaevi notitia versum suppleverunt.

c) Diog. Laert. VI 50; Mullach frg. 167; Heim no. 139: *νεογάμου ἐπιγράψαντος ἐπὶ τὴν οἰκίαν*

ὁ τοῦ Διὸς παῖς Ἡρακλῆς Καλλίνικος[1]
ἐνθάδε κατοικεῖ, μηδὲν εἰσίτω κακόν

ἐπέγραψε[2] *„μετὰ τὸν πόλεμον ἡ συμμαχία“.*

d) Gnomol. Vatican. ed. Sternbach, Wien. Stud. XI 1889 p. 238 sq. no. 564: *Ἀττικὴ γυνὴ ἰδοῦσα γράμμα ἐπὶ θυρῶν μέλλοντος γαμεῖν·*

Ἡρακλῆς
ἐνθάδε κατοικεῖ· μηδὲν εἰσίτω κακόν

εἶπεν· „νῦν οὖν ἡ γυνὴ οὐ μὴ εἰσελεύσεται.“

II Epigramma lapidibus inscriptum

a) Pompeiis. Minervini, Bull. Nap. 1856 p. 33; Buecheler, Rhein. Mus. XII 1857 p. 248; Dilthey, Ind. Schol. Gotting.

[1] Verborum ordine inverso versum effici primus Nauck vidit l. ceteroqui parum feliciter de dicto faceto iudicans.

[2] Cf. supra p. 10 adn. 4.

1878/79 p. 3sqq., CIL IV 733; Kaibel, EG 1138; Diehl, Pomp. Wandinschr. no. 10 (Lietzmann, Kl. Texte 56); Wissowa, Rel. u. Kultus d. Römer[2] p. 282 [Imaginem exhibet Doelger l. l. (vide supra p. 9 adn. 4) p. 241 fig. 27]:

ὁ τοῦ Διὸς παῖς καλλίνεικος Ἡρακλῆς
ἐ[νθ]άδαι κατοικεῖ, μηδὲν εἰσειαίτω κακόμ.

b) Kurdistan. CIG 4673:

ΗΡΑΚΛΗ ⋀ ΔΕΚVΓΙΙΕΙ
ΜΗΦΕΝ\ ΙΣΙΠΛΙΘοΙΚΑΚοΝ

Kaibel l. l. scriptum fuisse putat: *Ἡρακλῆς ἐνθάδε κατυκεῖ, μηθὲν εἰσιαίθω κακόν.*

III Epigramma a Latinis adhibitum

Romae. Bormann, Ephem. Epigr. IV 263; CIL VI 30 738; Buecheler, Carm. epigr. 23; Heim l. l. no. 140; cf. Peter, Roscher Lex. I 2991; A. de Domaszewski, Abhandl. z. Röm. Rel. 73 adn. 1; Wissowa[2] 282; Böhm, P.-W. VIII 594:

Hercules invicte, sancte Silvani nepos
hic advenisti: ne quid hic fiat mali.

IV Epigramma parodice adhibitum

Cum imperator Commodus Herculis colosso caput tollendum suamque effigiem imponendam curavisset, epigramma factum est hoc:

ὁ τοῦ Διὸς παῖς καλλίνικος Ἡρακλῆς
οὐκ εἰμὶ Λούκιος, ἀλλ' ἀναγκάζουσί με.

Cassius Dio LXXII 20, 3 ed. Boissevain III p. 303; A. P. XI 269 Dübner; de Commodo Herculem imitante cf. Peter, Roscher Lex. I 2987 sqq.; v. Rohden, P.-W. II 2478; Heer, Philol. Suppl. IX p. 100 sq.; Riewald, Diss. Phil. Hal. XX p. 283 sqq.

V Epigramma loco Herculis alia numina exhibens

a) Diogenes epist. 36 l. l.

Πενία ἐνθάδε κατοικεῖ, μηδὲν εἰσίτω κακόν.

b) ib.

Δικαιοσύνη ἐνθάδε κατοικεῖ, μηδὲν εἰσίτω κακόν.

c) Iuvavi. CIL III 5561:

— — hic habitat [felicitas]
nihil intret mali

Zangemeister CIL IV p. 196 et IV Suppl. II p. 461 et Buecheler, Carm. epigr. 26:

[Felícitas] hic hábitat, nihil intrét mali.

d) Pompeiis. CIL IV 1454; Diehl l. l. 6:

Hic habitat
[*phallus*]
Felicitas

En habes alteram tantum versus partem, alteram desideras; quid quod imagine expressum est, quod alibi verbis enuntiatur? Cum fascinum omnia mala prohibens adpictum sit, verbis „nil intret mali" opus iam non est.[1]

Exemplis Romanis nescio an commoveamur, ut *Πενίαν* vel *Δικαιοσύνην* non prorsus ex arbitrio epistolographi fictas esse censeamus. Fortasse iam Graeci similem in modum ac Romani pro Hercule personificationes quas dicimus supponere consueverant.

VI Epigramma christianum redditum

a) *Herakêh* (Syriae) in ecclesiae ianua. Prentice, Amer. Journ. of Archaeol. X 1906 p. 140; Greek and Latin Inscriptions (Publ. of an Amer. Archaeol. Expedition to Syria III) p. 19 Part 2 p. 100 no. 1029; Jalabert, Mélanges de l'Université Beyrouth III 722 [Doelger l. l. 244]: + *ὁ Δεσπότης ἡμῶν Ἰ(ησοῦ)ς Χ(ριστὸ)ς, ὁ Υἱὸς (καὶ) Λόγος τ(ο)ῦ Θ(εο)ῦ, ἐνθάδε [κ]ατοικεῖ· μηδὲν ἰσίτω κακόν. Ἐκτίσθη κτλ.* (a. p. Chr. n. 524).

b) *Safita.* Lammens, Musée Belge IV 1900 p. 284 no. 11:

[1] Erravit igitur medicus ille doctissimus, qui e signo impudenti domum Pompeianam lupanar fuisse conclusit, cf. Hugonis Bluemner censuram *B. ph. W.* 1913 p. 1398.

['Ιη]σοῦς ὁ Χ(ριστὸ)ς ὁ τοῦ Θ(εο)ῦ υ(ἱὸ)ς ἐνθάδε κάτοικ(ε)ν | ... *δὲ ἠθίτω οἰκον(όμος) Ἰορδάνης.* [*Κύριε*] *βοήθ*[*ει*]. Lectio alterius versus initii valde dubia, fortasse *κατοικ(εῖ)ν* ... *δεηθ(ή)τω* (Wuensch).

c) *Refâdi.* Le Bas-Waddington 2697; Prentice, Am. Journ. l. l. 146 sq.; Greek Inscr. l. l. 120: + *Ἰησ(οῦς) ὁ Ναζωρέως, ὁ ἐκ Μαρίας γεννεθ*[*ε*]*ίς, ὁ υ(ἱὸ)ς τοῦ Θ(εο)ῦ, ἔνθα κατοικῖ· μὶ ἔστω οδε* . . . a. p. Chr. n. 516. Eundem titulum in animo habere videtur Jalabert, Dictionn. apol. de la foi catholique, s. v. Épigraphie I 1443: „Jésus, né de Marie, habite là.“

d) Constantinopoli, in ecclesia S. Sophiae, in narthecis propylaeis, cf. Aristarches, *Ἑλλ. Φιλολ. Συλλ. ἐν Κ/πολ., παρ. ις'* 1885 *σ.* 16; Antoniades, *Ἔκφρασις τῆς Ἁγίας Σοφίας* (*Βιβλ. Μαρασλῆ*, B. G. Teubner 1907) I 145:

ὁ ἅ(γιο)ς Θ(εὸ)ς ἐνθάδε κατοικῖ, μηδεὶ(ς βέβηλος εἰσίτω).

Huius exempli, quod mihi benigne suppeditavit P. Friedlaender, ultima verba secundum notam quae fertur Platonis ianuae inscriptionem supplevit Aristarches, cf. Tzetzae Chil. VIII 972 sqq.: *Περὶ τῆς ἐπιγραφῆς τῆς περὶ προθύροις τοῦ Πλάτωνος τῆς μηδεὶς εἰσίτω ἀγεωμέτρητος. Πρὸ τῶν προθύρων τῶν αὐτοῦ γράψας ὑπῆρχε Πλάτων·* | *Μηδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω μου τὴν στέγην·* | *Τουτέστιν, ἄδικος μηδεὶς παρεισερχέσθω τῇδε·* | *Ἰσότης γὰρ καὶ δίκαιόν ἐστι γεωμετρία.* Aliter antiquiores testes verba collocant, ad quos relegat Zeller, Philos. d. Griech. II⁴ p. 411 adn. 3: Olympiod., prol. ed. Busse (Comm. in Aristot. XII 1) p. 9, 1 *διὰ τὸ ἐπιγεγράφθαι ἐν τῷ τοῦ Πλάτωνος μουσείῳ 'ἀγεωμέτρητος μηδεὶς εἰσίτω'*, Ioannes Philoponus, de anim. I 3 ed. Hayduck (ib. XV) p. 117, 26 *Πυθαγόρειος δὲ ὁ Πλάτων, οὗ καὶ πρὸ τῆς διατριβῆς ἐπεγέγραπτο 'ἀγεωμέτρητος μὴ εἰσίτω'*, Elias, in Arist. categ. ed. Busse (ib. XVIII 1) p. 118, 18 (cf. 119, 4) *διὰ Πλάτωνα ἐπιγράψαντα πρὸ τοῦ μουσείου 'ἀγεωμέτρητος μηδεὶς εἰσίτω'.* Cum nemo veterum, quatenus equidem video, de ea Platonis ianuae inscriptione testimonium dicat, certe totus

hic rumor Byzantinorum demum tempore ortus est, quippe qui eiusmodi inscriptiones quam maxime adamaverint.

e) Nicephorus Callistus Xanthopulus, hist. eccles. XVIII 3 (Migne, Patrol. Graeca 147 p. 225 A) Antiochiam, cum terrae motu gravissimas aerumnas pertulisset et a Iustiniano restaurata esset, *Θεούπολις* nomen accepisse narrat hanc ob rem: *Ἕκαστος γὰρ τῶν οἰκητόρων τὴν Χριστοῦ κλῆσιν πρὸ τῶν θυρῶν γράφων, οὕτω τὸν τῆς γῆς ἀπέτρεπε κλόνον, Θεοῦ τινι τῶν εὐλαβῶν οὕτω χρήσαντος γράφειν πρὸ τῶν θυρῶν·*

Χριστὸς μεθ' ἡμῶν, στῆτε.

Apte comparantur inscriptiones aliaeque sententiae, quas una cum Xanthopuli testimonio iam Le Blant, Nouveau Recueil des Inscr. chrétiennes de la Gaule (1892) p. 3 cum antiquo epigrammate contulit, velut titulus sepulcralis Galliae (Le Blant l. l.): XRS HIC EST. Huebner, Inscr. Hispan. Christ. 268: 'Crucis alme fero signu; fugie daemon' [de crucis signo averrunco cf. Doelger l. l. 246 sq.]. Ioannes Chrysost., Migne Patrol. Gr. 55 p. 158: *Ὅπου δὲ ὁ Χριστός, δαίμων μὲν οὐδεὶς ἐπεισελθεῖν, μᾶλλον δὲ οὐδὲ παρακύψαι τολμήσειέ ποτέ.* Prudentius, hymn. VI 131 sqq.: 'Crux pellit omne crimen . . . serpens . . . discede, Christus hic est, hic Christus est, liquesce'. [Commentatiunculam, quam H. Lammens de formulis „Christus hic est et ΧΡΙΣΤΟΣ ΕΝΘΑΔΕ ΚΑΤΟΙΚΕΝ" conscripsit (Revue de l'Orient chrétien 1902 p. 668—670) neque Romae neque Berolini neque Halis inspicere potui; cf. etiam Doelger l. l. p. 244 sq.]

Propius autem quam analogiae modo allatae ad antiquum exemplum accedit formula magica ad ianuam domumque tuendam adhibita, in qua elementa ethnica, Iudaica, Christiana commixta sunt secundum consuetum magicae artis morem. Amuletum saec. VI p. Chr. n. attribuendum est et continet haec:

f) + *Τὴν θύραν τὴν Ἀφροδίτην φροδιτην ροδιτην οδιτην διτην ιτην την την ην* (scribendum erat: *την ην ν*) *ωρωρ φωρφωρ. Ἰάω σαβαώθ ἀδονέ. δένο* (= *καταδέω*) *σε, σκορπίε ἀρτερήσιε. ἀπάλλαξον τὸν οἶκον τοῦτον ἀπὸ παντὸς κακοῦ*

ἑρπετοῦ πράγματος („von allem schlimmen Kriechtierwesen“), ταχὺ ταχύ. ὁ ἅγιος Φωκᾶς ὧδέ ἐστιν.[1] Oxyrh. Pap. VII Nr. 1060; K. F. Schmidt, GGA 1911 p. 459.

Variam et multifariam novimus epigrammatis historiam; nec mirum Christianos incantamentum tantae auctoritatis, quod tot tantosque casus perpessum adhuc validum erat, in suum usum convertisse. Sicut in templis ethnicorum ecclesias aedificare, heroem sancto expellere, paganorum feriis Christianum diem festum imponere consueverunt, ita antiqui numinis nomini aut Christi aut sancti nomen substituerunt.

C De Heracliti quae fertur epistula IV et de ara Heraclito dedicata

In epistula, de qua modo diximus, inscriptio vera et in vulgus nota adhibita erat, eo autem consilio, ut immutaretur atque ei alia vis ac sententia subiceretur. Restat alterum exemplum inscriptionis, de cuius fide dubito num recte Norden hoc tulerit iudicium (p. 32): „Der Verfasser hat sie völlig frei und frech und albern erfunden; aber gerade ihre Absurdität zeigt, daß ihm das Motiv als solches, eine religiöse Diatribe an eine Altaraufschrift anzuknüpfen, überliefert gewesen sein muß.“

Agitur de quarta Heracliti epistula pseudepigrapha (cf. J. Bernays, Die heraklitischen Briefe p. 22 sqq.; Hercher, Epistol. Gr. p. 281 sq.), qua philosophus accusatur, quod arae suum ipsius nomen inscripserit. Impietatis crimen amoliri conatur non sibi, sed Herculi Ephesio aram consecratam esse asseverans. Deinde de idololatria sermocinatur argumentis usus, quae Christianorum Iudaeorumque de eadem re doctrinam adeo redo-

[1] Haud scio an comparari possit quod Reitzenstein de angelis domum custodientibus e Gregorii Thaumaturgi apocalypsi affert, *Poimandres* p. 30 adn. 1: 'Κύριε, δεῖξόν μοι τὸν ἄγγελον τοῦ οἴκου. καὶ εἰπέ μοι τὸ ὄνομα αὐτοῦ'. καὶ αὐτός σοι ἀποδιώξει πᾶν πονηρὸν καὶ ἀκάθαρτον πνεῦμα. Reitzensteinii sententia haec est: „Der Name soll offenbar auf das Kreuz, ursprünglich wohl auf eine Darstellung des Engels geschrieben werden.“ Fortasse de formula quam tractamus cogitandum est, quae adhiberi non potuit nisi angeli nomine detecto. [Cf. etiam Doelger l. l. p. 240.]

lere videntur, ut nonnulli viri docti epistulam sive a Christiano sive a Iudaeo conscriptam esse sibi persuaserint. At iure Norden primum p. 31 originem Christianam, deinde p. 389 sq. originem Iudaicam negavit, cum nulla nisi cynicorum diatribae vestigia appareant[1], quo ex fonte cum anonymum illum tum Iudaeos Christianosque hausisse probatum est. Arae, cuius in initio diatribae mentio fit, ΗΡΑΚΛΕΙΤΩΙΕΦΕΣΙΩΙ inscriptum fuisse ex ipsius epistulae verbis iam Bernays sagaciter conclusit; illa enim inscriptio, prout voces seiungis, in duas accipi potest sententias, quibus aut *Ἡρακλεῖ τῷ Ἐφεσίῳ* aut *Ἡρακλείτῳ Ἐφεσίῳ* significatur.[2] Inscriptionem nihil aliud esse, nisi otiosi rhetoris inventum cum verborum ambiguitate ludentis, Bernaysii opinio erat ab Eduardo Norden recepta. At vereor ne ad eam sumptione minus probabili inducti sint viri doctissimi, rati scilicet fieri non potuisse, ut Heraclito re vera unquam dedicaretur ara. Nonne *ἀμφιβολίας*[3] quasi mucro acutior fit, si auctor ab inscriptione tradita, non a semet ipso ad hoc inventa exordium sumit eamque *παρ' ὑπόνοιαν* interpretatur? Re vera nullo modo fieri potuit, ut eo tempore, quo scripta est epistula, Heraclito ara dedicata esset? Non video cur tale quid negemus. Philosophos quasi divinis honoribus cultos esse notum est; ut taceam de Empedocle eiusque imitatoribus, nonne iam Aristoteles Platoni aram dedicavit[4] et Hermiam apotheo-

---

[1] Viris doctis p. 389 sq. nominatis addendus est J. Geffcken *Zwei griech. Apologeten* p. XXII, qui recte originem cynicam proclamavit.

[2] Carolus Praechter mihi haec codicis Palatini Graeci 129 verba indicat, quae quo spectent non vidit M. Treu (*Philol.* N. F. I p. 622): *Οἱ Ἴωνες ποτὲ τὸ ἐπιβώμιον ἐμέμψαντο ἐπίγραμμα, τὸ λέγον*

ΗΡΑΚΛΕΙΤΩΙΕΦΕΣΙΩΙ

(codex: *ἡρακλεῖτῶ ἐφεσίω*), *διότι περὶ τὴν προσῳδίαν ἔχει ἀμφιβολίαν. εἴτε γὰρ τῷ Ἡρακλείτῳ τῷ φιλοσόφῳ ἀνετέθη ὁ βωμός, εἴτε τῷ Ἡρακλεῖ, οὐκ ἔστιν εἰπεῖν.*

[3] Cf. Bernays p. 42 sqq., qui de invento epistolographi cogitat.

[4] Cf. Immisch *Philol.* LXV 1906 p. 1 sq.; 7; 12 sqq. „Platon erschien keinem Geringeren als Aristoteles als Gott", U. de Wilamowitz *Arist. u. Athen* I 338 adn., cf. II 415 sq.

seos in modum celebravit?[1] Homerus religiose colitur nec non Epicurus atheus divinis fruitur honoribus.[2] Quid quod etiam Peregrinus Proteus, Herculis aemulus tam adoratus quam irrisus, aras sibi consecrari postulavit?[3] Nonne Sostratum cynicum Graeci *Ἡρακλέα . . . ἐκάλουν καὶ ᾤοντο εἶναι?*[4] Ephesi Herculis Alexicaci imaginem fuisse Apollonii Tyanei vultus prae se ferentem Lactantius narrat in comparatione illa, qua Christum cum Apollonio componit, div. inst. V 3, 14.

Quibus pensitatis aram Heraclito dedicatam inauditam esse vix concedemus. Equidem usque eo testimonio fidem non negaverim, ut Heraclitum non modo ara, sed etiam statua honoratum atque Herculis habitu expressum et quasi *νέον Ἡρακλέα* cultum esse coniciam. Recorderis quaeso Heracliti clavam ferentis, qualem in nummis effictum videmus.[5] Nec non statua Gortyne inventa Heraclitum clavam manu tenentem repraesentat, id quod eo gravioris momenti est, cum sculptor ab Aesculapii typo saeculo a. Chr. n. V. usitato exemplar sumpserit.[6] Nummi modo laudati secundo p. Chr. n. saeculo cusi sunt, eidemque aetati statua Gortynia tribuenda est; itaque si sculptor ceteroquin Aesculapii typum imitatus Heraclito pro baculo clavam attribuit, sequitur illo tempore philosophi cum Hercule comparationem floruisse.[7]

Ad Heracliti quae fertur epistulam Norden propter arae inscriptionem ei insertam relegaverat. Idem vir doctus aliis

---

[1] Wilamowitz l. l. II 407 sqq.; Wendland *Hell.-röm. Kultur*[2] 134.

[2] I. ab Arnim *P.-W.* VI 135.

[3] Lucianus *vit. Peregr.* 27; de Peregrino Herculis aemulo cf. cap. 4 sq.; 24; 33; 36; Vulcani et Herculis *σύνθρονος* fit cap. 29.

[4] Cf. Luciani *vit. Demon.* c. 1; de hoc ac similibus exemplis egit Funk *Philol. Suppl.* X 644 sq.; U. de Wilamowitz *Herakles*[2] I p. 94 adn. 174. [5] Cf. I. de Fritze apud Diels *Herakleitos von Ephesos*[2] p. 83.

[6] Lippold *Athen. Mitt.* XXXVI 1911 p. 153 sqq.; *Porträtstatuen* p. 46; Delbrueck *Antike Porträts* 1912 tav. 14.

[7] Quae supra de Heraclito tamquam novo Hercule culto disserui, similem in modum in scholis sese exposuisse Otto Kern benigne mihi communicavit, quo consensu valde gaudeo.

quoque locis Apollonium Tyaneum et Heraclitum tam genuinos quam pseudepigraphos vinculis quibusdam conexos esse demonstravit (p. 49 adn. 1). Accedit nova similitudo, quam fortuitam esse non credo. Apollonium Tyaneum arae ignotis dis consecratae meminisse et de recta deorum colendorum ratione disseruisse in apologia, quam ab hierophanta Eleusinio accusatus Athenis habuit, Norden et Reitzenstein (p. 402) coniecerunt. Quid quod epistula nostra, quae arae mentionem et diatribam de vero deorum cultu continet, nil aliud est nisi apologia Heracliti *ἀσεβείας* crimen refutantis eo, quod veram *εὐσέβειαν* praedicat?

D De titulis Simoni Mago sacris

Exemplis, quae Eduardus Norden collegerat, novum addidit Adolfus Harnack (T. u. U. XXXIX 1 p. 33): „man erinnere sich auch, wie Justin das, was er in seiner Apologie seinen Adressaten über Simon Magus sagen will, z. T. an die von ihm mißverstandene Inschrift 'Semoni Sanco', die er in Rom gelesen hat, anknüpft". Iustinus apol. I 26; 56 Simonem Magum Claudio imperatore Romam venisse et quasi deum adoratum esse narrat. In insula Tiberina ei statuam erectam esse SIMONI DEO SANCTO inscriptam. Iam vero feliciter factum est, ut titulus, de quo Iustinus loquitur, anno 1574 inventus sit et eius inscriptione Iustinus erroris convincatur. Legitur enim in lapide hodie in Museo Vaticano adservato hoc: SEMONI SANCO DEO FIDIO SACRVM SEX. POMPEIVS eqs. (sequuntur quinque versus, CIL VI 567, cf. 30795). Itaque non ad Simonem Magum, sed ad Semonem Sancum titulus spectat neque Simonis Magi, sed Iustini tempore, scilicet s. p. Chr. n. II positus est.[1] Cum theologi saec. XVII et XVIII vel gravissimi de errore non Iustini, sed virorum doctorum titulum in insula Tiberina inventum iniuria ad

[1] Cf. Besnier *L'île Tibérine*, Parisiis 1902 p. 278 sqq., Wissowa *R. u. K.*[2] 130 sq., Roscher *Lex.* IV 318.

Iustini testimonium referentium cogitaverint, hodie nemo negat de uno eodemque titulo agi et Iustinum errasse.[1] Quaeri sane potest, utrum ipse viderit titulum, male legerit, verborum priorum ordinem immutaverit, posteriora neglexerit, an ab aliis inscriptionis iam depravatam, fortasse de industria inversam et perversam memoriam receperit. Mihi magis probanda videtur eorum sententia, qui eum relata retulisse affirmant. Nam de tempore, quo illud factum sit, scilicet sub Claudio imperatore, e lapide certior fieri non potuit, cum Claudius in titulo non nominetur; sequitur ergo eum alios quoque fontes adiisse. Quis dedicaverit statuam, non indicatur, sed de privatis potius quam de publicis honoribus cogitabit qui totius loci contextum respexerit. Deinde si Irenaeus contra haeres. I 23 Simonem a Claudio imperatore Romae statua honoratum esse narrat, hoc fortasse ex Iustini verbis minus recte intellectis effluxit. Minime autem ad Iustinum alterum Irenaei testimonium redit ab aliis deinde scriptoribus repetitum[2], quo Simonem et Helenam imagines in figuram Iovis atque Minervae factas habuisse et numinum instar adoratos esse traditur. Fieri nullo modo potest, ut haec verba ex Iustino fluxerint.[3] Etsi plures viri docti Irenaeo fidem negant[4], non video cur spernamus testimonium optime quadrans ad religionis, quae illis temporibus florebat, indolem ac naturam, qua commotus populus viros miris artibus miraque potestate praeditos deorum instar habebat. Nonne Lystrae incolae, postquam Paulus et Barnabas venerunt, Iovem et Mercurium venisse putaverunt? Act. apost. 14, 11[5]: *οἵ τε ὄχλοι ἰδόντες ὃ ἐποίησεν Παῦλος ἐπῆραν τὴν φωνὴν αὐτῶν*

---

[1] Padre Lugano *Bulletino di archeol. cristiana* VI 1900 p. 36—43; Ficker apud Hennecke *Handbuch zu den neutestamentlichen Apokryphen* (1904) p. 431 sq.; Pfättisch *Justins Apologie* (1912) ad cap. 26.

[2] I 23, 4; ceteros testes nominat Waitz *Ztschr. f. NT. Wiss.* V 1904 p. 137. [3] Idem iudicium Waitz quoque tulit l. l. 123.

[4] Eximendus est Ficker l. l., qui secum reputat, fidemne habeat testimonio.

[5] Cf. Reitzenstein *Hellenistische Wundererzählungen* p. 54.

Λυκαονιστὶ λέγοντες· οἱ θεοὶ ὁμοιωθέντες ἀνθρώποις κατέβησαν πρὸς ἡμᾶς, ἐκάλουν τε τὸν Βαρνάβαν Δία, τὸν δὲ Παῦλον Ἑρμῆν, ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου. Apostoli vero sese mortales esse affirmantes et unicum verum deum praedicantes longe removent talem honorem, qualem pseudapostoli et pseudoprophetae, Simones illi Magi, si non postulant, at certe non repudiant a sectatoribus oblatum.

Cum iam ex illo Irenaei testimonio colligere liceat Simonem sicut novum deum cultum esse, aliud accedit nullo modo ab Irenaeo vel Iustino pendens. Ex actis quae feruntur Petri comperimus Marcellum, Simoni devotum, ei statuam erexisse SIMONI IVVENI DEO inscriptam.[1] Iamdudum viri docti mendosam tituli Graeci versionem Latinam agnoverunt, qua *νέῳ θεῷ* falso vocibus 'iuveni deo' redditum est, nec non J. B. de Rossi, qua erat ingenii acie, ad similes imperatorum praedicationes notissimas relegans[2] testi anonymo fidem non abnuendam esse iudicavit. Sed fortasse quaesiverit quispiam, rectene id, quod de imperatoribus cum certis dis vel comparatis vel aequatis abunde scimus[3], ad homines privatos transferamus. Num *νέου θεοῦ* nomen regibus hellenisticis et imperatoribus Romanis reservatum est? Minime. Carolus Robert mihi benigne titulos indicavit huc facientes (cf. Preller-Robert, Gr. Myth. 416 adn. 2), quorum altero (IG III 752) cosmeta cum Mercurio comparatur: *Ἑρμάωνι κυδήνας ἴσον*, altero vero Damocrates novus Mercurius appellatur (IG V 1, 493): *Δαμοκράτη, νέον Ἑρμείαν.* Etsi in utraque inscriptione imperatorum aetati tribuenda potius poeticam comparationem[4], quam nomen vere sacrum intellegere debemus, aliter iudicandum est de titulo ad Antinoum spec-

---

[1] *Acta apost. apocr.* ed. Lipsius I p. 57, 25.

[2] *Bull. di archeol. crist.* 4. ser. I 1882 p. 107 sq.

[3] Riewald *Diss. Phil. Hal.* XX 3 p. 301 sqq.

[4] Quod dicendi genus apte comparatur cum notissimo veterum more, quo mortuos sub deorum figura repraesentare consueverant, cf. Schwarzlose *De titulis sepulcralibus latinis quaest.*, Diss. Hal. 1913 p. 45 sqq.; Baege *Diss. Phil. Hal.* XXII 74; 52; 141; 195 etc.

tante[1]: *Ἁδριανὴ σύνοδός σε νέον θεὸν Ἑρμάωνα στήσαμεν ἀζόμενοι τὸν καλὸν Ἀντίνοον.* Atque maximi momenti et ponderis est titulus dedicatorius Erythris inventus[2]: *Ἀγαθῇ τ[ύχῃ], δαίμονι φιλανθρώπῳ νέῳ Ἀσκληπιῷ ἐπιφανεῖ μεγίστῳ.* Qui titulus quin ad cultum spectet, nemo dubitare potest. Quid quod etiam Glycon, Alexandri illius famosi deus, eodem modo sese praedicavit? Sacerdos cum interrogaret: *Εἰπὲ γάρ μοι, ὦ δέσποτα Γλύκων, τίς εἶ;* respondit: *Ἐγώ, ἦ δ' ὅς, Ἀσκληπιὸς νέος.*[3] Unum denique addam exemplum, quo de femina cum dea comparata et aequata agitur, id quod Helenae Simonianae cum Minerva comparationem in animum revocat. Apuleius met. IV 28 sqq. de Psycha propter miram pulchritudinem a populo Veneris instar habita narrat haec: 'inaccessae formonsitatis admiratione stupidi et admoventes oribus suis dexteram primore digito in erectum pollicem residente eam ut ipsam prorsus deam Venerem religiosis venerabantur adorationibus.' Ipsum nomen novae Veneris hoc loco non usurpatur, ne autem desit, inspicias cap. 34, ubi Psycha ipsa loquitur: 'cum gentes et populi celebrarent nos divinis honoribus, cum novam me Venerem ore consono nuncuparent' etc.[4]

Quae cum ita sint, nullus dubito, quin tituli in actis Petri latine expressi exemplari Graeco fides habenda sit. Videtur non totam inscriptionem vertisse auctor, ita ut de ampliore titulo cogitare liceat, velut *Σήμωνι νέῳ θεῷ ἐπιφα-*

[1] *IG* XIV add. 978a = Cagnat *IGR* I 55, cf. Riewald l. l. 279; Blum *BCH* XXXVII 1913 p. 328. Antinous *νέος Πύθιος* vocatur Tarsi, cf. Blum 329.

[2] J. Keil *Österr. Jahreshefte* XIII 1910, Beiblatt p. 42; B. Müller *Diss. Phil. Hal.* XXI 1913 p. 321 no. 145.

[3] Luciani *Alex.* 43. Non dubito quin dixerit: *ἐγώ εἰμι κτλ.* Cf. infra cap. H, ubi de hac formula agendum erit.

[4] Quos locos recte R. Helm nuperrime comparavit cum similibus scriptorum eroticorum *τόποις* (*Neue Jahrbücher* XXXIII 1914 p. 191 adn. 5); eos autem consulto neglexi, cum nusquam formulam *νέος θεός* invenissem. Quodsi Cnemonis noverca privignum, quem amat, *ὁ νέος Ἱππόλυτος, ὁ Θησεὺς ὁ ἐμός* nominat (Heliodori *Aethiop.* I 10), hoc minus apte in comparationem vocari potest.

νεῖ[1]; fieri etiam potest ut dei, quocum fortasse aequatus est, nomen exciderit.

Quia deus ille, quem Erythraei colebant, *φιλάνθρωπος* erat hominesque aegrotos sanabat, ideo novus Aesculapius habitus est, quem *φιλάνθρωπον* saepius nominatum esse scimus.[2] Haud aliter, quia homines iuvabant, sanabant, mortuos resuscitabant, virtutes humanis maiores possidebant, Simones Magi et Apollonii Tyanei deorum instar culti sunt et *θεῖοι ἄνδρες* vel *νέοι θεοί* appellati. Nonne ipse Christus ethnicis tamquam *νέος θεός* visus est? *Νέε θεέ ... ὁ θεὸς ὁ διὰ φιλανθρωπίαν* (cf. titulum Erythraeum) *καὶ οἰκτιρμοὺς κατελθὼν πρὸς τὴν ἡμετέραν σμικρότητα*: sic Christum adfatur Mygdonia in Actis Thomae.[3] En habes easdem religiones, eadem verba, eosdem animae devotae affectus.[4]

Paucis complectamur id, quod vestigia ab Adolfo Harnack indicata persecuti nobis profecisse videmur. Iustinus bona, ut puto, fide inscriptionem exhibet falsam, verum derivatam a titulo antiquo; licuit ei eam laudare, quia re vera exstabant tituli, quibus Simonem dei instar adoratum esse probari poterat. Id ipsum maximi momenti est, quod apologeta animum omnino advertit in titulos sacros eorumque mentionem recepit; sic si fecit, morem antiquitus auctoribus consuetum et ab Eduardo Norden exemplis satis superque illustratum secutus est.

E Hieronymus de ara Atheniensi

Hieronymus ad Tit. 1, 12 (Norden p. 117 sqq.): 'Inscriptio autem arae non ita erat, ut Paulus asseruit 'ignoto deo', sed

[1] *Θεοὺς ἐπιφανεῖς* tractavit Picard, *Ξένια* (Athenis 1912) p. 67 sqq.; cf. Steinleitner *Die Beicht in der Antike*, Leipzig 1913 p. 15 sqq.

[2] Cf. Appendicem II.

[3] ed. Bonnet p. 232, 123, cf. Norden p. 53 adn. 3. Cod. U pro *νέε θεέ* exhibet *καινέ θεέ*; ceteris locis ubique vox *νέος* usurpatur, cf. p. 130, 10; 135, 5; 159, 15; 168, 6. 13; 197, 14; 294.

[4] De Christianorum more, quo usi Constantinum *νέον Δαυΐδ* nominabant, cf. Baumstark apud Doelger *Konstantin d. Gr. u. seine Zeit* (XIX. Suppl. d. Röm. Quartalschrift) 1913 p. 254, qui recte ad similem ethnicorum consuetudinem relegat.

ita: 'Diis Asiae et Europae et Africae, diis ignotis et peregrinis.' verum quia Paulus non pluribus diis indigebat ignotis, sed uno tantum ignoto deo, singulari verbo usus est' etc.

Hieronymus ut gravissimus testis est de *μεταγραφῇ* tituli antiqui a Paulo adhibita, ita vereor ne admodum dubius habendus sit in iis, quibus inscriptionem ipsam tamquam authenticam affert. Quanam quaeso analogia fulciri potest titulus hic:

Θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης, θεοῖς ἀγνώστοις καὶ ξένοις?

Ego quamvis late scrutatus nullam inveni; neque Reisch, P.-W. s. v. „Altar" neque Maurer, 'De aris Graecorum pluribus deis in commune positis' (Diss. Argent. 1885) ullum exemplum exhibent quod apte comparetur. Dedicationes velut *Θεῶν Σαμοθρᾴκων*, *Θεῶν Καβείρων Συρίων*, *Ἀντινόῳ συνθρόνῳ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θεῶν*, *Διὶ Ὄλυβρι τοῦ Κιλίκων ἔθνους*, *Θεοῦ ἱερᾶς οἰκίας*, 'Diis cultoribus huius loci' aliae, etsi omnes, ut ita dicam, certorum locorum numina universe circumscribant, tamen longe absunt. Proxime omnium, quotquot novi, accedit haec: 'DIIS DEABVS DACIARVM ET TERRae Daciae'[1], sed a dis unius provinciae coniunctis ad deorum totius orbis summam haud facilis est progressus.

At ut concedam fieri potuisse, ut Asiae, Africae, Europae numina in commune adorarentur, quis veterum *θεοῖς ἀγνώστοις καὶ ξένοις* addidisset? Verba velut *θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις* apte adiungi poterant[2], minime autem *θεοῖς ξένοις καὶ ἀγνώστοις*. Quae res sane Eduardum Norden non effugit et effecit, ut primo de Hieronymi titulo dubitaret; deinde autem Minucii Felicis loco commotus est, ut aliter iudicaret. Legimus enim

---

[1] *CIL* III 996. Supplementum ad analogiam tituli *CIL* III 7835 effectum mihi communicavit A. de Domaszewski.

[2] Cf. titulum sepulcralem in Lydia inventum: *ἐχέτω τοὺς δήμου Ῥωμαίων θε[οὺς κεχολ]ωμένους πάντας καὶ πάσας*, Keil-Premerstein *Denkschr. d. Akad. Wien* LIV 1911 p. 99, qui recte explicant: „Die Drohung mit dem Zorne der Götter des römischen Volkes hängt wohl damit zusammen, daß der Erblasser das römische Bürgerrecht besaß."

in Octavio c. 6, 2 sq. de Romanorum potestate haec: „dum captis hostilibus moenibus adhuc ferociente victoria numina victa venerantur; dum undique hospites deos quaerunt et suos faciunt; dum aras extruunt etiam ignotis numinibus et manibus: sic dum universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt.“ Quibus verbis si paraphrasis inscriptionis Hieronymianae vel similis contineretur, dicendum esset paraphrasim multo concinnius et aptius progredi, quam titulum ipsum. Equidem e contrario putaverim, e simili sermone, quo de dis tam indigenis quam peregrinis, tam notis quam ignotis, in urbe nescio qua cultis et de altaribus totius fere orbis terrarum numinibus positis dictum erat, natam esse inscriptionem illam eo modo, ut, quod in universum de aris enuntiatum erat, per errorem pro unius arae inscriptione haberetur. Qui sermo Minucii loco similis Athenas potius quam Romam spectabat, cum ibi quoque totius fere mundi numina colerentur, praesertim in portubus, quorum in Phalero aram dis ignotis sanctam fuisse Pausanias I 1, 4 narrat.

Sed utut de titulo Hieronymiano iudicaveris, neque ad Paulum neque ad Apollonium Tyaneum inscriptio plenior facit, cum, si re vera genuina censenda est (quod ut credam, a me impetrare non possum), non ante Hadriani aetatem concipi potuerit, id quod iure contendit Udalricus de Wilamowitz, cf. Norden p. 119 adn. 2, DLZ l. l. 2957.

F *Ἄγνωστοι θεοί. Ἄγνωστος θεός*

Paulum pluralem numerum in singularem mutasse concludendum erat, etiam si Hieronymi testimonio careremus. Omnes enim auctores de aris ignotorum deorum verba facientes plurali utuntur, quippe qui numerus unicus conveniat cultui.[1]

[1] De ignoto deo a philosophis laudato omnino taceo, cum nusquam cultu arisque fructus sit.

Contradixit Theodorus Pluess (Wochenschrift f. klass. Philol. 1913, 553 sq.) minuta et argutula subtilitate testimonia hoc modo interpretatus: „Für Olympia wird berichtet: *ἀγνώστων θεῶν βωμός*, also ein Altar für mehrere Götter (Paus. V 14, 8). Für Phaleron: *βωμοὶ θεῶν τε ὀνομαζομένων ἀγνώστων καὶ ἡρώων καὶ* . . .[1] Paus. I 1, 4; also eine Mehrheit verschiedenster Altäre, darunter entweder ein Altar *ἀγνώστων θεῶν* oder mehrere Altäre je für mehrere *ἄγνωστοι* oder mehrere Altäre je für einen *ἄγνωστος θεός*. Welches nun also von den dreien? Für Athen oder das athenische Phaleron heißt es: . . . *Ἀθήνησιν, οὗ καὶ ἀγνώστων δαιμόνων βωμοὶ ἵδρυνται* (Philostr. vit. Apollon. VI 3); sind nun diese mehreren Altäre einzeln mehreren *ἄγνωστοι* oder je einem geweiht? Das wissen wir nicht."[2] Quibus argutiis nil proficimus, quoniam *βωμοί* tum demum de compluribus aris, quarum singulae unico deo ignoto inscriptae sint, intellegi licebit, cum primum eiusmodi tituli exemplum haud dubium nacti erimus. Deinde si quis complures aras uni deo ignoto sanctas significare voluisset, non *βωμοὶ ἀγνώστων θεῶν*, sed *βωμοὶ ἀγνώστου θεοῦ* dixisset. Infelix ergo Theodorus Pluess sive Frazero duce (Pausan. vol. II p. 33), sive, quod Frazerum non nominat, suo Marte Eduardum Norden impugnavit.

Quae omnia non protulissem, nisi praecavere voluissem, ne quis exemplum arae uni deo ignoto inscriptae sibi invenisse videretur perlectis nonnullis verbis ex Alexandri historia fabulosa: „(Alexander) suchte nun, nach Ammons Orakel, den mächtigsten Gott. Gegenüber dem Heroon ließ er einen gro-

[1] E numero plurali *βωμοί* omnino nihil efficiendum est, cum sequantur haec verba: *παίδων τῶν* ⟨*μετὰ*⟩ *Θησέως καὶ Φαληροῦ*. Cum Carolo Robert *μετὰ* inserendum est atque *ἡρώων καὶ παίδων* coniungendum; fieri nullo modo potest, ut *ἀγνώστων* referatur etiam ad *ἡρώων*.

[2] Satius erat numero singulari uti; nam etsi Theodorus Pluess ignorat, ceteros vix effugit Philostrati *βωμοί* pluralem mere rhetoricum esse, cf. *DLZ* l. l. 2954; Jaeger *GGA* l. l. 608 sq.

ßen Altar errichten, der noch jetzt Alexanders Altar heißt, und opferte dem unbekannten Gotte."[1] Neque de ara ἀγνώστου θεοῦ inscripta agitur neque omnino novum ignoti dei testimonium nacti sumus. Nam verba illa ignoti dei mentionem continentia, ut apud hodiernos auctores occurrunt[2], ita scripta in fontibus non sunt. Neque textus graeci codices neque Valerius neque versiones orientales vocem ἄγνωστος θεός vel simile quid exhibent, id quod mihi roganti affirmavit Fridericus Pfister in hisce quaestionibus peritissimus. Agitur de Sarapide, cuius nomen Alexander et incolae aeque ignorant; oraculo deinde deus ipse nominis cognoscendi facultatem dat. Itaque etsi non ignotum deum adhuc incognitum lucrati sumus, at certe anonymi novum exemplum invenimus, quod addas exemplis ab Eduardo Norden p. 57 collatis.

G De titulo Pergameno


Usque ad paucos abhinc annos ararum dis ignotis inscriptarum notitiam omnem debebamus testimoniis supra allatis, nullus vero titulus aetatem tulisse videbatur. Quo factum est, ut non mediocriter viros doctos vexaret lapis a. 1909 Pergami erutus, qui desideratam illorum numinum memoriam continere visus est. At Fortuna, qua est inconstantia et malitia, lapidem mutilum esse voluit atque id ipsum marmoris frustulum, quod summum in supplenda inscriptione momentum facit, terra obvolvit absconditque ita, ut rectene Hugo Hepding θεοῖς ἀγν̣[ώστοις] restituerit[3], lapide ipso diiudicari nequeat. Quam controversiam si solvere conamur, necesse est, ut quid aliud suppleri possit inquiramus atque argumenta perpendamus, quibus coniecturae aut firmentur aut refutentur.

[1] A. Ausfeld *Rhein. Mus.* LV 1900 p. 355 sq.; *Der griech. Alexanderroman* I 33.

[2] J. Lévy *Revue de l'hist. d. religions* LXI 1910 p. 165: „Alexandre s'adresse au Dieu inconnu."

[3] *Athen. Mitt.* XXXV 1910 p. 456.

In lapidis primo versu servatum est *ΘΕΟΙΣ ΑΓ* atque hastae verticalis finis inferior, in secundo et tertio nomen munusque dedicantis, sed ut utrumque facile ac certe restituitur, ita neutro de numinibus adoratis quicquam edocemur.



Eo quod litterae aequaliter atque congruenter in lapide distributae sunt, efficitur neque de *ἀγν̣[οῖς]* neque de *ἀγί̣[οις]* cogitari posse, quippe quae voces spatio minores sint. *Θεοῖς ἀγ-γ[έλοις]*, quod ex analogia inscriptionis latinae DIIS ANGELIS (Öst. Jahresh. VIII 1905, Beiblatt p. 5) sibi finxerit aliquis, iure ab Adolfo Deissmann (Paulus p. 178 sqq.) improbatum est. Restant ergo verborum *ἁγνός* vel *ἅγιος* gradus superlativi, quorum prior in titulis honorariis saepius occurrit[1] ad supplendos titulos sacros minus idoneis. *Ἁγνότατος* ut deorum epitheton usurpatum mihi ex duabus tantum inscriptionibus innotuit:

1. CIG 6857 = Kaibel, EG 1089 v. 10: *Μου[σῶν δῶρ]ον*

---

[1] Gerlach *Griech. Ehreninschriften* p. 37; cf. *IG* V 1, 538 = Wilhelm *Sitz.-Ber. Berl. Akad.* 1913 p. 859.

ἀφ' [ἀγνοτ]ἀτ[ων], ubi Kaibel etiam de [ἀθαν]ἀτ[ων] cogitat.

2. Benndorf-Niemann, Reisen im südwestl. Kleinasien I 53 D 14 sq.: τῆς ἀγνοτάτης . . . Ἀρτέμιδος.

Alterum igitur exemplum et dubium est et poeticum, alterum aliter se habet, cum vox ἀγνότατος nomen deae praecedat. Relinquitur ergo ἁγιώτατος, quod cum saepius inveniatur[1], Ottoni Kern arrisit, qui θεοῖς ἁγι̣[ωτάτοις] scribendum esse censuit (Hermes XLVI 434 sq.); num recte, dubito. Nam si aram in Eleusinio inventam θεοῖς ἁγι̣[ωτάτοις] vel ἁγι̣[ωτάταις] inscriptam fuisse ponimus, titulum, cum nusquam θεοὺς ἁγιωτάτους nomine non addito inveniamus, ad Cererem et Proserpinam utpote summas Eleusinii deas referre cogimur, velut in titulo Laconico infra laudando. Tum vero aut dualem numerum aut certe articulum adhibendum fuisse recte Adolfus Deissmann l. l. contendit. Accedit aliud, quo quin de Cerere et Proserpina cogitemus impedimur. Optime enim Hugo Hepding monuit fieri vix potuisse, ut ara summis Eleusinii deabus posita paucis annis post aliis numinibus dedicaretur et in alio

---

[1] Desideratur dissertatio vocis ἅγιος et ἁγιώτατος usum cum paganum tum christianum illustrans. Nonnulla contulit Wobbermin *Religionsgeschichtliche Studien* (1896) p. 59 sqq. et Passow-Croenert s. v., adhibendi sunt etiam Link *De vocis 'sanctus' usu pagano* (Diss. Regim. 1910), Delehaye *Anal. Bolland.* XXVIII 1909 p. 145 sqq., Doelger ΙΧΘΥΣ I p. 180 sq. Ἅγιος et ἁγιώτατος de dis (vocem de rebus sacris usitatam hic non curo) praecipue inde ab aetate hellenistica usurpatur et inprimis ad deos orientales a Graecis quoque cultos spectat, cum antiquioribus temporibus verbo ἱερός usi sint Graeci. Epicurei magistrum colentes eum ἅγιον καὶ ἁγιώτατον καὶ ἵλεων vocabant (Philod. π. εὐσεβ. p. 96). Contra Arignotus ille Pythagoreus, quem 'sanctum' appellabant sectatores et amici, a Luciano *philops.* 29 ἱερός nominatur; qui scriptor haud scio an vocem ἱερός adhibuerit, ut verbum hellenisticum ἅγιος vitaret. Duo vocis ἁγιώτατος exempla adhuc neglecta hoc loco addam: Iulian. p. 389 A τῆς ἁγιωτάτης θεοῦ Δήμητρος, p. 378 C (in epistula ad Alexandrinos data) τὸν θεὸν τὸν μέγαν (exemplum effugit Brunonem Mueller de 'magno deo' disserentem, *Diss. Phil. Hal.* XXI 3 p. 362 sqq.) τὸν ἁγιώτατον Σάραπιν αἰδεῖσθε.

lapidis latere alia inscriptio incideretur, scilicet [*τοῖς Ἀ*]*νέμοις Κασίγνωτος ἐπιβώμιος*. Multo minus in ea offendimur, si ara incertis dis posita postea ad certorum deorum honorem insumpta est. Deinde si re vera *ἁγιωτάτοις* vel *ἁγιωτάταις* in lapide incisum fuisset, litterae *Ω* particulam horizontalem aeque atque in nomine *ΚαπίτΩ̣*[*ν*] te adhuc videre exspectares, cuius nullum vestigium apparet. Denique id argumentum proferam, quo quaestionem solvi posse persuasum habeo, titulos dico deorum epitheton *ἁγιώτατος* exhibentes, quorum quot mihi innotuerunt hic congestos habes:

1. Slavochorii (Laconiae) CIG 1449 = IG V 1, 594 (cf. Wide, Lak. Kulte 179; 331; Wobbermin l. l. 70): *Ἡ πόλις Αὐρη*[*λί*]*αν Ἐπαφρῶ, πῶλον τοῖν ἁγιωτάτοιν θεοῖν γενομένην, Δήμητρι καὶ Κόρῃ σεμνοπ*[*ρ*]*επ*[*ῶ*]*ς λιτου*[*ργ*]*ή*[*σ*]*ασα*[*ν*] *καὶ ἀξίως τῶν θεῶν, προσδεξαμ*[*έ*]*νης τὸ ἀνάλωμα τῆς τήθης αὐτῆς Κλαυδία*[*ς*] *Ἐπαφρ*[*οῦ*]*ς*.

2. Spartae. Le Bas-Foucart 162d; Wobbermin l. l. 70; IG V 1, 599: [*Ἡ πόλις*] *τὴν σεμνοτάτην καὶ φιλανθρωποτάτην Ἡράκλειαν Τεισαμενοῦ παρὰ τῇ ἁγιωτάτῃ Ὀρθίᾳ Ἀρτέμιδι ἱδρύσατο κτλ.*

3. Ephesi. Wood, Discov. at Ephesos, Inscr. from the city 31 no. 9; Groag, Oest. Jahresh. X 1907 p. 293: *Πόπλιον Οὐήδιον Παπιανὸν Ἀντωνεῖνον, τὸν κράτιστον, κληρονόμῳ χρησάμενον τῇ ἁγιωτάτῃ θεῷ Ἐφεσίᾳ Ἀρτέμιδι ἡ πατρὶς ἀνενεώσατο.*

4. Ephesi. Benndorf, Forschungen in Ephesos I p. 211: *νεωκόρο*[*ς τῆς*] *ἁγιω*[*τάτ*]*ης Ἀρτέμιδος*.

5. Didymae. Wiegand, VII. vorl. Bericht, Abhandl. d. Berl. Akad. 1911 p. 63f. [*Ἀ*]*γαθῇ τύχῃ. Ὁ προφήτης σου Δαμιανὸς ἐρωτᾷ· ἐπὶ* (= *ἐπεὶ*) *ἐν τῷ ἱερῷ σου καὶ πανθέῳ περιβωμισμῷ οὐδέπω τῆς ἁγιωτάτης σου ἀδελφῆς, τῆς πατρίου αὐτοῦ θεᾶς Σωτίρας Κόρης κτλ.* 21sq.: *ἱδρύσασθαι βωμὸν τῆς ἁγιωτάτης πατρίου αὐτοῦ θεᾶς Σωτίρας Κόρης κτλ.*

6. Mileti. Wiegand, Sitz.-Ber. d. Berl. Akad. 1904 p. 87 no. 2

= Dittenberger, OGIS 756: *Οὔλπιον Κάρπον, τὸν προφήτην τοῦ ἁγιωτάτου Θεοῦ Ὑψίστου ὁ στόλος τῶν σωληνοκεντῶν τὸν ἴδιον εὐεργέτην διὰ πάντων.*

7. Mileti. Wiegand, l. l. no. 1 = Dittenberger l. l. 755: *τὸν ἱερέα τοῦ ἁγιωτάτου [Θεοῦ Ὑψί]στου Σωτῆρος Οὔλπιον Κάρπον βουλευτὴν ὁ στατίων τῶν κατὰ πόλιν κηπουρῶν τὸν ἴδιον εὐεργέτη[ν] ὑπὲρ τῆς ἑαυτῶν σωτηρί[ας].*

8. Copti. Weigall, Ann. d'Egypte VIII 1907 p. 49 = Preisigke, Sammelbuch griech. Urkunden aus Aegypten no. 1555: *Διὶ Ἡλίῳ μεγάλῳ Σαράπιδι καὶ τοῖς συννάοις θεοῖς ... διαδεξάμενος τὴν αὐτοῦ τοῦ ἁγιωτάτου Σαράπιδος γυμνασιαρχίαν κτλ.*

Ubique igitur praecedit adiectivum, nusquam voci *θεός* nudae adpositum occurrit, semper dei nomen postponitur. Quae cum ita sint, *θεοῖς ἁγιωτάτοις* si scribimus, soloecismum facimus. Quod equidem noluerim. Rectam Hugonis Hepding restitutionem recte acceperunt cum theologi tum philologi[1], neque quisquam ullum argumentum, quo infirmetur, adhuc protulit. Quodsi Hepding ipse nimis fere caute modesteque locutus est (et ea re Eduardum Norden commovit, ut non nisi in adnotatione p. 56, 1 coniecturae incertioris mentionem faceret), eum denuo perpensis ceteris coniecturis iisque improbabilitatis convictis iam confidenter suam ipsius tenere ab ipso viro docto compertum habeo. Atque eo duce iam DLZ l. l. p. 2958 sq. exposui, quid e novo testimonio Pergameno de dis ignotis a Graecis religiose cultis sequi videatur.

---

[1] A. Deissmann l. l.; Eduardus Schwartz de coniectura dubitare non videtur *GGA* 1911 p. 671; quodsi dicit „Für Paulus hat das trotz Act. Ap. 17, 23 keine Bedeutung; denn wenn etwas feststeht, so ist es das, daß er die Areopagrede nie gehalten hat", nemo qui Nordeni librum perlegit contradicet; Nachmanson *Nordisk Tidskrift* 1912 p. 153—157; Jalabert *Mélanges de la Faculté Orient. de l'Université de Beyrouth* V 1911/12 p. L sq.

H *Οὐκ ἄγνωστος Φοῖβος θεός*

(Pap. Giss. I 3)

Eduardum Norden, cum p. 55 sqq. de ignoto deo et de ignotis dis ageret, testimonium vocis *ἄγνωστος θεός* effugit, ex quo quamquam nihil de philosophorum et gnosticorum deo ignoto comperimus, attamen aliquem fructum percipere possumus. *Ἄγνωστος* in exemplo quod statim afferemus ad externam dei speciem, non ad numinis vim ac naturam spectare Ricardus Reitzenstein primus vidit (Neue Jahrb. 1913 p. 415 adn.): „der wohl bildlich dargestellte[1] Gaugott sagt *ἥκω σοι, ὦ δῆμε, οὐκ ἄγνωστος Φοῖβος θεός*, d. h. er ist ihnen in seiner Erscheinung wohl bekannt." *Οὐκ ἄγνωστος* ergo idem valere atque homericum *ἀρίγνωτος* (*ἀρίγνωτοι δὲ θεοί περ N* 72) recte Georgius Wissowa monet. Papyrus, in qua haec verba leguntur, non modo propter unam vocem *ἄγνωστος*, sed propter totius documenti indolem et argumentum digna videtur quaestione paulo ampliore. Quam hoc loco non habiturus essem, nisi ex ea quoque aliquod supplementum exspectarem studiis ab Eduardo Norden feliciter inauguratis addendum.

Pap. Giss. no. 3 (inventa Apollinopoli Heptacomiae, scripta a. 117 p. Chr. n.)[2]:

Column. I *Ἅρματι λευκοπώλωι ἄρτι Τραϊαν[ῶι] συνανατείλας ἥκω σοι, ὦ δῆμ[ε], οὐκ ἄγνωστος Φοῖβος θεὸς ἄνακτα καινὸν Ἁδριανὸν ἀγγελῶ[ν], ὧι πάντα δοῦλα [δι'] ἀρετὴν κ[αὶ] πατρὸς τύχην θεοῦ. χαίροντες τοιγαροῦν θύοντες τὰς ἑστίας ἀνάπτωμεν, γέλωσι καὶ μέθαις ταῖς ἀπὸ κρήνης τὰς ψυχὰς ἀνέντες γυμνασίων τε ἀλείμμασι· ὧν πάντων χορηγὸν τὸ πρὸς τὸν κύριον εὐσεβὲς τοῦ στρατηγοῦ* ⟦*καὶ*⟧ *φιλότιμόν τε τὸ πρὸς*

---

[1] De hac re cur aliter iudicandum esse putaverim, infra elucebit.

[2] Kornemann *Klio* VII 1907 p. 278 sqq.; *Griechische Papyri zu Gießen* I (1910) p. 15 sqq.; Reitzenstein *Neue Jahrb.* 1908 p. 365 sqq.; Wendland *Hellenistisch-römische Kultur*[2] p. 411; Blumenthal *Arch. f. Pap.-Forsch.* V p. 336 A. 7; Wilcken, ib. p. 249; *Grundzüge und Chrestomatie der Papyruskunde* I 1 p. 420; I 2 p. 571 no. 491.

Column. II [*τὸν δῆμον* vel *ἡμᾶς*. reliqua desunt].

Le roi est mort, vive le roi. Imperatorem Traianum mortuum esse et in caelum curru albis equis vecto ascendisse[1] nec non Hadrianum ei successisse comperimus. At quis est nuntius? Apollo ipse; non quod pagi deus est, sed quod Phoebus omnia videt et in caelo et in terra, ideo lucidus ascensionis testis prodit. Quae res ab interpretibus adhuc neglecta quanti momenti sit, statim elucebit, si narratiunculas, quae aliorum hominum in caelum ascensum testantur, examinaverimus. Quid quod iam in Romuli historiam fabularem irrepsit testis, qui eum in caelum ascendentem vidit, notissimus ille Iulius Proculus?[2] Deinde cum Augustus vita decessisset, Numerius

---

[1] Cf. Deubner *Röm. Mitt.* XXVII 1912 p. 8; Dieterich *Mithrasliturgie*[2] p. 143 sq., 204 sq. In universum conferas Rohde *Psyche* II p. 375 adn. 1; K. Hönn *Studien zur Geschichte der Himmelfahrt im Altertum*, Progr. Mannheim 1910, qui tamen id, quod mea interest, non respexit. Termino astronomico *συνανατείλας* Ricardus Wuensch commotus est, ut Traianum cum Lucifero aequari putaret (cf. Deubner p. 8 adn. 6). Quod minus probabile videtur. Non cum certa stella aequari imperatorem, sed in universum cum sideribus comparari equidem credam, quippe quae comparatio et Graecis et Romanis consueta sit, cf. Dittenberger *Syll.*[2] 365: *Ἐπεὶ ὁ νέος Ἥλιος Γάϊος Καῖσαρ Σεβαστὸς Γερμανικὸς συναναλάμψαι ταῖς ἰδίαις αὐγαῖς . . . ἠθέλησεν*, ib. 376, 53 (Nero) *νέος Ἥλιος ἐπιλάμψας τοῖς Ἕλλησιν*, Kaibel *EG* 978 (Augustus) *ἄστρον ἁπάσας Ἑλλάδος*, Horat. *carm.* IV 5, 5 sqq. et alia exempla congesta a Riewald l. l. p. 314. Addendus est Seneca *apocol.* 4: 'qualis discutiens fugientia Lucifer astra, aut qualis surgit redeuntibus Hesperus astris, qualis, cum primum tenebris Aurora solutis induxit rubicunda diem, Sol aspicit orbem lucidus et primos a carcere concitat axis: talis Caesar adest, talem iam Roma Neronem aspiciet. flagrat nitidus fulgore remisso vultus et adfuso cervix formosa capillo'. Carolus Robert ad bibliothecae Ephesiae zophorum relegat, ubi imperatoris maiestas usque eo aucta est, ut ipse in Solis curru stet, Sol vero iuxta currum pedibus ingrediatur, cf. Heberdey *Öst. Jahresh.* VII 1904, Beiblatt p. 55 sq., qui recte explicat: „man wird kaum zweifeln können, daß hier in bewußter Absicht an Stelle des allschauenden Gottes der weltbeherrschende Kaiser gesetzt ist".

[2] Testimonia collegit Carter *Roscher Lex.* IV 199 sqq.; gravissima tantum citare possum. Liv. I 16: 'Proculus Iulius . . . gravis, ut traditur, quamvis magnae rei auctor, in contionem prodit. „Romulus" inquit

Atticus iuratus affirmavit sese eum sublimem abire vidisse.[1] Neque testis defuit, qui iuraret se Drusillam in deorum coetum intrantem suis oculis vidisse.[2] Et eundem hominem Seneca in apocolocyntosi testem finxit, qui Claudium quoque in caelum claudicantem viderit.[3] Non modo in Romanorum narrationibus,

. . „prima hodierna luce caelo repente delapsus se mihi obvium dedit" (sequuntur Romuli verba). „Haec . . . locutus sublimis abiit." Mirum, quantum illi viro nuntianti haec fidei fuerit'. Ovid. *fast.* II 497 sqq. (502: Romulus in media visus adesse via, et dixisse simul . . . 507: iussit. Et in tenues oculis evanuit auras). Plut. *Rom.* 28 *ἄνδρα τῶν πατρικίων γένει πρῶτον ἤθει τε δοκιμώτατον αὐτῷ τε Ῥωμύλῳ πιστὸν καὶ συνήθη . . . Ἰούλιον Πρόκλον, εἰς ἀγορὰν προελθόντα καὶ τῶν ἁγιωτάτων ἔνορκον ἱερῶν ἁψάμενον εἰπεῖν ἐν πᾶσιν, ὡς ὁδὸν αὐτῷ βαδίζοντι Ῥωμύλος ἐξ ἐναντίας προσιὼν φανείη κτλ.* Romulus se deum esse nuntiat: „*Ἐγὼ δὲ ὑμῖν εὐμενὴς ἔσομαι δαίμων Κυρῖνος.*" *Ταῦτα πιστὰ μὲν εἶναι τοῖς Ῥωμαίοις ἐδόκει διὰ τὸν τρόπον τοῦ λέγοντος καὶ διὰ τὸν ὅρκον.* Plutarchus deinde similes Graecorum narrationes affert. [Aurel. Vict.] v. illustr. 2, 13: 'Iulius Proculus, vir nobilis, in contionem processit et iureiurando firmavit Romulum a se in colle Quirinali visum augustiore forma, cum ad deos abiret . . . huius auctoritati creditum est.' Dubium non videtur, quin tota haec de Romulo caelum versus erepto historiola a Graecorum fabulis duxerit originem.

[1] Dio 56, 46, 2 (Livia) *δὲ δὴ Νουμερίῳ τινὶ Ἀττικῷ, βουλευτῇ ἐστρατηγηκότι, πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας ἐχαρίσατο, ὅτι τὸν Αὔγουστον ἐς τὸν οὐρανὸν κατὰ τὰ περί τε τοῦ Πρόκλου καὶ περὶ τοῦ Ῥωμύλου λεγόμενα* (cf. adnotationem antecedentem) *ἀνιόντα ἑωρακέναι ὤμοσε.*

[2] Dio 59, 11, 4 *Λίουιός τε τις Γεμίνιος βουλευτὴς ἔς τε τὸν οὐρανὸν αὐτὴν ἀναβαίνουσαν καὶ τοῖς θεοῖς συγγιγνομένην ὤμοσεν, ἐξώλειαν καὶ ἑαυτῷ καὶ τοῖς παισίν, εἰ ψεύδοιτο, ἐπαρασάμενος τῇ τε τῶν ἄλλων θεῶν ἐπιμαρτυρίᾳ καὶ τῇ αὐτῆς ἐκείνης· ἐφ' ᾧ πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας ἔλαβε.* Cf. etiam adnotationem insequentem.

[3] Apocol. 1 sq.: 'Quid actum sit in caelo ante diem III. idus Octobris anno novo, initio saeculi felicissimi (cf. infra p. 44) volo memoriae tradere . . . haec ita vera. Si quis quaesiverit, unde sciam . . . non respondebo . . . Quis unquam ab historico iuratores (cf. Reitzenstein *Hellenistische Wundererzählungen* p. 81 adn. 2; erravit Mommsen, cum 'iurato res' legendum esse censuit, *Staatsrecht* II³ p. 362 adn. 2) exegit? Tamen si necesse fuerit auctorem producere, quaesito ab eo, qui Drusillam euntem in caelum vidit: idem Claudium vidisse se dicet iter facientem „non passibus aequis". velit nolit, necesse est illi omnia videre, quae in caelo aguntur (cf. infra p. 45): Appiae viae curator est, qua scis et divum Augustum et Tiberium Caesarem ad deos isse. hunc si interrogaveris, soli narrabit; coram pluri-

verum etiam in Graecorum tales testes occurunt. Unum tantum exemplum mihi praesto est, quod Lucianus in vita Peregrini exhibet; quae cum tanta imitationis et parodiae signa prae se ferat[1], haud scio an aliunde quoque testes ascensionem in caelum firmantes noti fuerint. Denique cum addo etiam Christi resurrectionem et ascensum testibus confirmata esse[2], Iustini apologetae vestigia premo, qui, ut Christi resurrectionem non prorsus incredibilem esse demonstraret, ad Graecorum mythos et imperatorum Romanorum consecrationem relegavit

---

bus nunquam verbum faciet. nam ex quo in senatu iuravit se Drusillam vidisse caelum ascendentem et illi pro tam bono nuntio (cf. infra p. 45) nemo credidit, quod viderit, verbis conceptis affirmavit, se non indicaturum, etiam si in medio foro hominem occisum vidisset. ab hoc quae tum audivi, certa clara affero, ita illum salvum et felicem habeam'. Cf. 5: 'in caelo quae acta sint, audite: fides penes auctorem erit'.

[1] Cap. 39 sq.: *ὡς ἐπειδὴ ἀνήφθη μὲν ἡ πυρά, ἐνέβαλε δὲ φέρων ἑαυτὸν ὁ Πρωτεύς* (sic Empedocles in Aetnae flammas sese iecisse fertur), *σεισμοῦ πρότερον μεγάλου γενομένου σὺν μυκηθμῷ τῆς γῆς* (alibi solis eclipsi vel aliis signis miris natura ipsa mortem divinorum hominum luget, cf. Usener *Kl. Schr.* IV 307 sq.), *γὺψ* (alibi aquila easdem partes tenet atque hic vultur, cf. Deubner, l. l.; Cumont *Rev. de l'hist. d. rel.* 62, 1910 p. 119 sqq.; Boll *Aus der Offenbarung Johannis* 1914 [*ΣΤΟΙΧΕΙΑ* I] p. 38, 4; 143; 146; Reitzenstein l. l. 21; 50) *ἀναπτάμενος ἐκ μέσης τῆς φλογὸς οἴχοιτο ἐς τὸν οὐρανὸν ἀνθρωπίνῃ μεγάλῃ τῇ φωνῇ λέγων „ἔλιπον γᾶν, βαίνω δ' ἐς Ὄλυμπον"* (symbolorum velut *ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον* parodiam intellexerunt Wuensch et Dieterich *Mithrasliturgie*[2] l. l.) . . . *ἐπέστην τινὶ πολιῷ ἀνδρὶ καὶ νὴ τὸν Δί' ἀξιοπίστῳ τὸ πρόσωπον ἐπὶ τῷ πώγωνι καὶ τῇ λοιπῇ σεμνότητι, τά τε ἄλλα διηγουμένῳ περὶ τοῦ Πρωτέως καὶ ὡς μετὰ τὸ καυθῆναι θεάσαιτο αὐτὸν ἐν λευκῇ ἐσθῆτι μικρὸν ἔμπροσθεν καὶ νῦν ἀπολίποι περιπατοῦντα φαιδρὸν ἐν τῇ ἑπταφώνῳ στοᾷ κοτίνῳ τε ἐστεμμένον· εἶτ' ἐπὶ πᾶσι προσέθηκε τὸν γῦπα, διομνύμενος ἦ μὴν αὐτὸς ἑωρακέναι ἀναπτάμενον ἐκ τῆς πυρᾶς.* Uterque auctor, et Seneca et Lucianus (de quo inprimis conferendus est Reitzenstein l. l. p. 50), consecrationem in parodiam vertentes, testem introducunt. Fortasse etiam alius utriusque lusus facetus comparari potest: de apotheosi agitur. Apocolocyntosim efficit Seneca, et Lucianus statim in primo capite et ipse alludens ad vocem *ἀποθέωσις* de Peregrino dicit: *καὶ νῦν ἐκεῖνος . . ἀπηνθράκωται.*

[2] Proximum accedit Matth. 28, 2 ubi *ἄγγελος κυρίου καταβὰς ἐξ οὐρανοῦ* testis est. Etiam Apollo noster caelo descendit testimonii causa.

atque testimonii eorum meminit, qui iureiurando se divos sublimes abisse testati sunt.[1]

Ex exemplis modo allatis patet, quanti veteres testimonia imperatorum ascensionem confirmantia aestimaverint.[2] At quantopere illis iuratoribus, senatoribus sive fide dignis sive pecunia emptis, praestat Apollo Traiani gloriam nuntians! Num testis clarior et fide dignior investigari potuit, quam oraculorum deus, quam Phoebus, qui omnia videt et in terra et in caelo? Is qui una cum divo Traiano ascendit in caelum, descendit ut testimonium diceret.[3]

Iam postquam de argumento priorum versuum egimus, ad genus dicendi transeamus. Apollo haud aliter loquitur ac deus prologus Euripideus. Quam thesim priusquam exemplis allatis stabiliam, statim alteram adiungam. Apollo simillimum in modum loquitur ac *σωτῆρες* illi, quorum orationes Eduardus Norden explicavit („Ein soteriologischer Redetypus“). Ac primum quidem de dis prologis disserendum est cum Apolline papyri nostrae comparandis.

---

[1] Apol. 21: *τοὺς ἀποθνήσκοντας παρ' ὑμῖν αὐτοκράτορας, οὓς ἀεὶ ἀπαθανατίζεσθαι ἀξιοῦντες καὶ ὀμνύντα τινὰ προάγετε ἑωρακέναι ἐκ τῆς πυρᾶς ἀνερχόμενον εἰς τὸν οὐρανὸν τὸν κατακαέντα Καίσαρα*, cf. Geffcken *Zwei griech. Apologeten* p. 28. Tatian. *πρὸς Ἕλληνας* 10: *πῶς δὲ ὁ τεθνεὼς Ἀντίνοος μειράκιον ὡραῖον ἐν τῇ σελήνῃ καθίδρυται; τίς ὁ ἀναβιβάσας αὐτόν, εἰ μή τι καὶ τοῦτον ὡς βασιλέα μισθοῦ δι' ἐπιορκίας τις τοῦ θεοῦ καταγελῶν εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνεληλυθέναι φήσας πεπίστευται κᾆτα τὸν ὅμοιον θεολογήσας τιμῆς καὶ δωρεᾶς ἠξίωται*; Tertullian. *de spect.* 30: 'ubi exultem spectans tot et tantos reges, qui in caelum recepti nuntiabuntur, cum ipso Iove et ipsis suis testibus in imis tenebris congemescentes', cf. etiam *ad nat.* I 10.

[2] Apte Georgius Wissowa cum hac imperatorum consecratione sanctorum canonizationem comparat, ubi non modo advocatis diaboli et dei, sed etiam miraculorum testibus opus est (cf. de Moy apud Wetzer-Welter *Kirchenlexikon*[2] II p. 152).

[3] *Οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς*, Joh. ev. 3, 13. Nonne haec verba videntur contra paganos dicta esse, qui tot in caelum ascendere viderint? Totus sermo irae et incusationum plenus est, cf. Norden p. 299.

Exordia prologorum et Euripidis et imitatorum cum initio papyri conferas velim haec[1]:

Eurip. Hec. 1 sqq.: *Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας λιπών, ἵν' Ἅιδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν, Πολύδωρος, Ἑκάβης παῖς κτλ.*

Ion 1 sqq.: *Ἄτλας . . . ἔφυσε Μαῖαν, ἥ μ' ἐγείνατο Ἑρμῆν . . . Ἥκω δὲ Δελφῶν τήνδε γῆν κτλ.*

Troad. 1 sq.: *Ἥκω λιπὼν Αἴγαιον ἁλμυρὸν βάθος πόντου Ποσειδῶν κτλ.*

Bacchae 1 sqq.: *Ἥκω Διὸς παῖς τήνδε Θηβαίων χθόνα Διόνυσος . . . μορφὴν δ' ἀμείψας ἐκ θεοῦ βροτησίαν πάρειμι κτλ.*

Iam scholiasta ad Eurip. Troad. 1 sq. adnotavit de initio Euripidi consueto agi, quod alii saepius imitati sunt et interdum etiam parodice laudaverunt. Velut Charmus piscem eadem fere loquentem fecit atque Euripidis Neptunum, cf. Athen. I 4 A. Menander quoque in Nauclero imitatus est Euripidem, cf. Athen. XI 474 B = Kock frg. 348: *ἥκει λιπὼν ἁλμυρὸν βάθος.* In aliis prologis derivatis ab Euripideis vox *ἥκω* non iam usurpatur, at reliqua eodem modo progrediuntur, ita ut deus appareat, dicat quis sit, pronuntiet quam ob rem venerit, interdum etiam de externa sua specie ac figura verba faciat, praesertim cum non personam sui propriam induerit.[2] Proxime ad Apollinem omnia videntem omniaque scientem accedunt prologi *Ἀήρ* et *Ἔλεγχος*, qui tamen non voce *ἥκω*, ut prologi

[1] Plurimum debeo viris doctis, qui de prologis egerunt, etsi id ipsum, quod mea maxime refert, non presserunt; cf. Dziatzko *Über die plautinischen Prologe*, Progr. Luzern 1867; Frantz *De comoed. Att. prologis*, Diss. Argent. 1891; Leo *Plautin. Forsch.*[2] p. 212; 238 sq.; J. ab Arnim *De prolog. Euripideorum arte et interpolatione* Diss. Gryphiswald. 1882 p. 82; 88 sq.; E. Mueller *De Graec. deorum partibus tragicis* RGVV VIII 3 p. 333.

[2] Velut Liber in Bacchis (cf. supra *μορφήν τ' ἀμείψας κτλ.*) re vera *ἄγνωστος* esset, nisi statim ipse nomen suum pronuntiaret; de sua propria specie ac figura *Φόβος* disserit, cf. eius verba quae in contextu p. 40 citantur.

Euripidei et Apollo papyri nostrae, utuntur, sed verbis *ἐγώ εἰμι*, de quibus videas infra. Alios prologos huc facientes addo:

Philemon frg. 91 Kock: *ὃν οὐδὲ εἷς λέληθεν οὐδὲ ἓν ποιῶν οὐδ' αὖ ποιήσων, οὐδὲ πεποιηκὼς πάλαι, οὔτε θεὸς οὔτ' ἄνθρωπος, οὗτός εἰμ' ἐγώ, Ἀήρ, ὃν ἄν τις ὀνομάσειε καὶ Δία· ἐγὼ δ', ὃ θεοῦ 'στιν ἔργον, εἰμὶ πανταχοῦ ἐνταῦθ' ἐν Ἀθήναις, ἐν Πάτραις, ἐν Σικελίᾳ, ἐν ταῖς πόλεσι πάσαισιν, ἐν ταῖς οἰκίαις πάσαις, ἐν ὑμῖν πᾶσιν. οὐκ ἔστιν τόπος, οὗ μή 'στιν Ἀήρ. ὁ δὲ παρὼν ἀπανταχοῦ πάντ' ἐξ ἀνάγκης οἶδε πανταχοῦ παρών.*

Totum locum exscripsi, ut eluceret, quales praecessores habuerit Apollo papyri, qui et ipse de rebus terrenis et caelestibus testatur.

Menander frg. 545 K.: *Ἔλεγχός εἰμ' ἐγώ κτλ. . . . πάντα δ' εἰδὼς καὶ σαφῶς διεξιών κτλ.*

Philyllius I p. 784 K.: *βούλεσθε δῆτ' ἐγὼ φράσω, τίς εἰμ' ἐγώ; ἡ τῶν προτενθῶν Δορπία καλουμένη.*

Frg. adesp. 154 K. III p. 439: *ἀμορφότατος τὴν ὄψιν εἰμὶ γὰρ Φόβος πάντων ἐλάχιστον τοῦ καλοῦ μετέχων θεός* (cf. p. 39 adn. 2).

In Romanorum prologis et illud *ἥκω* latine versum, et verborum *ἐγώ εἰμι* similia invenimus:

Plautus, Amph. 17 sqq.: Nunc cuius iussu venio et quam ob rem venerim dicam, simulque ipse eloquar nomen meum. Iovis iussu venio, nomen Mercurio est mihi.

Aulul. 1 sqq.: Ne quis miretur, qui sim, paucis eloquar: ego Lar sum familiaris ex hac familia, unde exeuntem me aspexistis.

Rudens 1 sqq.: Qui gentes omnes mariaque et terras movet eius sum civis civitate caelitum. ita sum, ut videtis, splendens stella candida, signum quod semper tempore exoritur suo hic atque in caelo: nomen Arcturo mihi.

Trinumm. 6 sqq.: Nunc igitur primum quae ego sim

et quae illaec siet, huc quae abiit intro, dicam, si animum advortitis. primum mihi Plautus nomen Luxuriae indidit, tum hanc mihi gratam esse voluit Inopiam.

Cistellaria 144 sq.: mihi Auxilium est nomen.

Ad illud *ἥκω* in prologis usitatum faciunt verba etiam eorum prologorum, qui non a dis repraesentantur, velut Terentii Hec. 1 sqq.: 'Orator ad vos venio ornatu prologi, sinite exorator sim' et Heautontim. 2: 'quod veni, eloquar' et ignoti poetae versus (Cic. Tusc. I 16, 37): 'Adsum atque advenio'.

Etiam prologi illi recentiores, qui paucis ante annis e papyro in lucem prodierunt, idem genus dicendi servant:

I. *Ἔρως [Ἀφρο]δίτης υἱὸς ἐπιεικὴς [ν]έος*
νέος ἐ[πιεικ]ὴς υἱὸς Ἀφροδίτης Ἔ[ρως]
ἐλήλυθ[α ἀ]γγελῶν τοιοῦτο πρᾶγμά τι κτλ.

II. *ἱερὸς ὁ δῆμος· ἡ λέγουσ' ἐγὼ Κ[ύ]πρις*
ἐν τῶι τόπωι δὴ τῶνδε δι' ἐμοῦ πρᾶγμά τι
γεγονός, δι' ἧς ἅπαντα γίνεται κα[λά,
ἥκω φράσουσα δεῦρο κτλ.

(Jouguet, BCH XXX 1906 p. 123 sqq.; Michel, De fabularum Graecarum argumentis metricis, Diss. Giss. 1908 p. 37 sq.; Koerte, Hermes XLIII 1908 p. 38 sqq. Arch. f. Pap.-Forsch. VI 1913 p. 88 sqq.; Demiańczuk, Suppl. com., Cracoviae 1912 p. 108).

Quodsi Apollo noster sese nominat *οὐκ ἄγνωστος*, hoc quoque in comparationem vocari potest cum prologis; ibi etsi non eadem vox invenitur, attamen similes praesto sunt, cf. Eurip. Hippol. 1 sq.: *Πολλὴ μὲν ἐν βροτοῖσι κοὐκ ἀνώνυμος θεὰ κέκλημαι Κύπρις, οὐρανοῦ τ' ἔσω* (quem locum imitatus est Ocypodis auctor, Ps. Lucianus Ocyp. 1: *Δεινὴ μὲν ἐν βροτοῖσι καὶ δυσώνυμος Ποδάγρα κέκλημαι*, cf. Joh. Zimmermann, Luciani quae feruntur Podagra et Ocypus p. 69).

Apte etiam id comparatur, quod Amphitruo de se dicit, Eurip. Hercules 1 *τίς τὸν Διὸς σύλλεκτρον οὐκ οἶδεν βροτῶν;* nec non Menandri *Ἔλεγχος* apud Lucianum, *ψευδολ.* 4: *θεὸς οὐχ ὁ ἀσημότατος τῶν ἐπὶ σκηνὴν ἀναβαινόντων.*

Apollinis partes dis prologis simillimas esse exempla supra allata evicerunt. Non ita confidenter accedo ad alteram quaestionem eamque perdifficilem, scilicet de ratione, quae intercedit inter deorum prologos et orationes illas ab Eduardo Norden p. 188 sqq. 298 sqq. explicatas. Nam eas quoque similitudinem quandam habere cum Apollinis verbis vix negari potest. Audiamus sermonum initia:

Ἐγώ ὁ θεός εἰμι, ἢ θεοῦ παῖς ἢ πνεῦμα θεῖον· ἥκω δέ· ἤδη γὰρ ὁ κόσμος ἀπόλλυται, καὶ ὑμεῖς, ὦ ἄνθρωποι, διὰ τὰς ἀδικίας οἴχεσθε. ἐγὼ δὲ σῶσαι θέλω, καὶ ὄψεσθέ με αὖθις μετ' οὐρανίου δυνάμεως ἐπανιόντα (Poemandres, cf. Norden p. 188 sq.).

Ἐγὼ γὰρ ἐκ τοῦ θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκω· ἐγώ εἰμι ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς· οὐδὲ γὰρ ἀπ' ἐμαυτοῦ ἐλήλυθα, ἀλλ' ἐκεῖνός με ἀπέστειλεν (Joh. evang. 8, 42; Norden p. 189).

Ἐγώ εἰμι ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς (Simon Magus, Norden p. 190). Alia apud Nordenum p. 194 et p. 300.

Qui nuntii cum genere dicendi et deorum prologi vicibus fungentium et Apollinis nostri quodammodo cohaerere videntur. Quaeritur, utrum fortuita nulliusque momenti habenda sit similitudo, an aliqua necessitudo inter exempla ceteroquin admodum differentia intercedat. Illas orationes ab ipsis prologis pendere nemo putabit; at fortasse exempla praesto sunt media inter prologos et illos nuntios collocanda? Ea dico, quae quoad genus dicendi aperta prologi vestigia praebent et quoad argumentum nuntium mere sacrum continent? Tale exemplum nactus esse mihi videor, scilicet epigramma Artemidori Pergaei, qui cum tertio a. Chr. n. saeculo Priapi cultum Theram transtulisset, ipsum deum loquentem fecit haec:[1]

---

[1] Kaibel *EG* 807; *IG* XII 3, 421c; Hiller von Gaertringen *Thera* III 89 sqq.; Usener *Der heilige Tychon* p. 27 adn. 2.

Ἥκω Πρίαπος τῇδε Θηραίωμ πόλει[1]
ὁ Λαμψακηνὸς πλοῦτον ἄφθιτομ φέρων.
[εὐεργέτη]ς πάρειμι καὶ παραστάτης
[πᾶσ]ιν πολίταις τοῖς τ' ἐνοικοῦσιν ξένοις.

Quae verba quantopere prologorum dictionis similia sint, patet; neque latet, qua de causa idem genus dicendi adhiberi potuerit: in utrisque agitur de deorum epiphania. Tragoediae genus dicendi tantam habuit auctoritatem, ut etiam alibi, cum deus vel divus nuntius appareret, hoc similem in modum atque in prologis enuntiaretur.

Artemidori versus, si argumentum quoque spectamus, intercedunt inter deorum prologos et servatorum illorum sermones. Quid enim aliud Priapus profitetur, nisi sese ad homines venisse, ut eis saluti esset? *Σωτῆρες* illi sane aegre cum deo obsceno componuntur, nihilominus componendi sunt utrorumque sermones. Priapus edisserit, quid boni hominibus facturus sit, et deos prologos beneficia sua hominibus pronuntiasse e Plauto comperimus (Amph. 41): ʻut alios in tragoediis vidi, Neptunum, Virtutem, Victoriam, Martem, Bellonam commemorare quae bona vobis fecissent' (cf. Leo l. l.). Quia di omnia scientes, et praeterita et futura, homines edocere possunt, ideo ad mortales loquuntur, quippe qui prologi nuntium pro certo habere debeant (Arnim l. l. 88 sq.). Et quia in papyro nostra bonus nuntius hominibus ferendus est, ideo Apollo, qui omnia videt, apparet. Re vera evangelium pronuntiat deus, cum consecrationem imperatoris mortui testatur et novum mundi dominum proclamat. Ipsa vox *εὐαγγέλιον*, quae de Augusti regno in titulo Prienensi notissimo[2] et de honoribus divi Septimii eiusque filiorum in titulo Attico[3] et de C. Iulio Vero Ma-

---

[1] Versum ad Baccharum initium compositum esse Carolus Robert monet.

[2] Dittenberger *OGIS* 458; *Inschriften von Priene* 105; Wendland *Z. f. NT. Wiss.* V 1904 p. 335 sqq.; Dieterich *Kl. Schr.* 195; 524; Deissmann *Licht vom Osten*³ 276 sq.

[3] *IG* III 10 = ² 1081. Vocem *εὐαγγέλιον* in priore editione nondum restitutam ingeniose supplevit Kirchner v. 5 sq.: *βουλὴ συνήχθη ἐπὶ τοῖς*

ximo in papyro recentiore[1] usurpatur, hic non occurrit, sed haud scio an subaudienda sit in verbis *ἄνακτα καινὸν Ἁδριανὸν ἀγγελῶν.* Laetum nuntium ab Apolline allatum cum gaudio accipit populus, qui secundas in papyro partes tenet: *χαίροντες τοιγαροῦν θύοντες κτλ.* Miror quod Ernestus Kornemann vocem *χαίροντες* Apollini attribuit, postquam Udalricus Wilcken et Ricardus Reitzenstein verum iam viderunt. Nonne optime sententia progreditur, si laetus nuntius populi laetitiam excitat? Liceat simile exemplum proferre, quo illorum virorum doctorum iudicium stabilitur. Iam supra ad Senecae apocolocyntosim relegavi cum papyro comparandam. Quid quod in eius capite 4, postquam Apollo novum saeculum Claudio mortuo et Nerone imperatore praedixit[2], laetum nuntium populus summo cum gaudio accipit? „Claudium autem iubent omnes *χαίροντες, εὐφημοῦντες ἐκπέμπειν δόμων*“ (Eurip. Cresphontes, Nauck TGF² 449), cf. cap. 5 „gaudium publicum“, cap. 12 „omnes laeti hilares“. Qua analogia prorsus vetamur Ernesto Kornemann assentiri, neque comparatio eo minuitur, quod gaudium publicum Claudii morte potius quam novi imperatoris amore effectum est; hoc enim saturae proprium est.

Haud scio an alia quoque Senecae verba in comparationem vocare liceat cum rebus ad apotheosim facientibus. Phoebus Traiani ascensionem in caelum eam ob causam testatur, quod omnia videt (cf. supra p. 35; 38). Et Seneca Appiae viae curatorem ut testem adhibet, quod „necesse est illi omnia videre

---

[εὐαγγ]ελίοις, ἀναδειχθέντος [*Αὐτοκράτορος Καίσαρος Ποπλίου Σεπτιμίου Γέτα Εὐσεβοῦς Σεβαστοῦ*] κτλ.; tituli notitiam debeo Friderico Hiller de Gaertringen, qui qua est benignitate plagulas inspiciendas mihi suppeditavit.

[1] Deissmann l. l. 277; Preisigke *Sammelbuch griech. Urkunden aus Aegypten* no. 241.

[2] Non nihil interest cum Senecae satura conferre papyrum Oxyrh. VII 1021 = Wilcken *Chrestomatie* no. 113, qua et ipsa de Claudio mortuo et de Nerone novo imperatore agitur.

quae in caelo aguntur" (cap. 1, cf. supra p. 36 adn. 3). Apollinis nuntium modo 'evangelium' nominavi relegans ad titulos, ubi vox εὐαγγέλιον usurpatur. Et Seneca de teste, qui Drusillam caelum ascendentem vidit, dicit „illi pro tam bono nuntio nemo credidit" (cf. p. 37 adn.). Nonne documentis velut papyro nostra comparatis multo clarius elucet, quantopere Senecae apolocyntosis apotheoseos parodia vocanda sit?

Restat ut de totius papyri natura dicam, quae viros doctos valde vexavit. Rectissime Udalricum Wilcken iudicasse de fabula scaenica cogitantem (Chrestom. l. l., cf. p. 34 adn. 2) persuasum habeo. Cui eo potius me addicam, cum tragicae dictionis vestigia in verbis Apollinis primas partes tenentis detexisse mihi videar. Deinde haud aliter ac Wilcken secundas partes *Δήμῳ* attribuendas esse puto, praesertim cum primae Demi voces optime concinant cum verbis, quae Seneca in apolocyntosi populum loquentem facit (cf. supra p. 44). Denique quod Wilcken putat non nisi initium fabulae paulo maioris servatum esse, etiam in hac re ei assentior, quippe qui Apollinem papyri „non ignotum deum" gemellum dei prologi agnoverim.

I . . . ἐπ' ἀγνώστοις ἐπιλοιβαί

Novum de dis ignotis testimonium, cuius notitiam insigni Eduardi Norden benignitati debeo, in lucem prodisse videtur in hymnis, quorum fragmenta in papyris Chicagoensibus agnoverunt Goodspeed, Powell, Hunt. Non modo propter 'ignotorum' mentionem, sed etiam ut omnino virorum doctorum animi advertantur in nova haec hymnicae poeseos documenta, exscribam id, quod *Classical Review* XXVIII 1914 p. 143 de papyrorum argumentis legitur: „They appeared to be from a collection of Hymns, perhaps of the second or first century B. C.: 1) from a Hymn to Cyprus, perhaps with a reference to the deified Arsinoe, wife of Ptolemy Philadelphus: it was probably not from the lost poem of Callimachus on the marriage of Ptolemy and Arsinoe, nor by Posidippus. 2) From a Hymn

to Apollo, with a description of Egypt, like Theocr. XVII, and perhaps a reference to the attack of the Gauls on Delphi in 279: the ending ἐπ' ἀγνώστοις ἐπιλοιβαί was a fresh instance of θεοὶ ἄγνωστοι. 3) One on the story of Andromeda, which might have been the original of the Epyllium in Manilius v. 540 sqq. 4) From a Hymn to Isis, in a mixture of hexameters and scazons. There were others, but the whole collection was mutilated."

Si re vera [θεοῖσιν] ἐπ' ἀγνώστοις ἐπιλοιβαί supplendum est, ut cum Nordeno putaverim, quaestio oritur, quomodo di ignoti cum Apolline coniuncti fuerint. Sed ne audacior sim, de hac re coniecturam proferre iam nolo; satius erit papyrorum editionem exspectare ac tum demum in cultum inquirere, cum de textu constiterit.

Appendix I

Καλλίνικος

Vox *Καλλίνικος* Herculis epitheton ornans saepius usurpatur inde a notissimo illo τήνελλα καλλίνικε, quam acclamationem ab Archilocho receptam potius[1] quam inventam esse censentes vix erramus. Exempla quae Lorentz, Drexler, Hoefer in Roscheri Lexic. II 927 congesserunt non exscribo, uno alterove autem facere non possum quin utar ad illustrandum illud epigramma, de quo supra (p. 9 sqq.) dixi; deinde nova quaedam exempla additurus sum, denique nonnullas observationes prolaturus, quae ad historiam vocis *Καλλίνικος* spectant.

Herculi in epigrammate supra laudato epitheton Callinici inditum est, quia contra omnia monstra pugnans victor evasit eamque ob rem aptus videbatur, qui etiam mala prohiberet arceretque. Est igitur Hercules Callinicus quasi gemellus Herculis Alexicaci, et re vera ab Aelio Aristide alterum epitheton

[1] Pari Herculem antiquitus cultum esse constat, cf. Rubensohn *Athen. Mitt.* XXVI 1901 p. 197. Tituli quatenus video unum tantum Callinici exemplum exhibent recentiori aetati, scilicet saeculo a. Chr. n. primo attribuendum, *IG* XII 5, 1 no. 234.

cum altero coniungitur in hymno soluta oratione composito[1] (II p. 328 K.): *αἱ τοίνυν ἐπωνυμίαι Καλλίνικός τε καὶ Ἀλεξίκακος ἡ μὲν μόνῳ θεῶν* (de qua re cf. infra), *ἡ δ' ἐν τοῖς πρώτοις δέδοται.* De vi ac sententia epitheti Callinici gravissimus testis est Artemidorus II 37 p. 140 H.: *Ἡρακλέα μὲν ἰδεῖν αὐτὸν ἢ ἄγαλμα αὐτοῦ πᾶσι τοῖς εὐπροαιρέτως καὶ κατὰ νόμον ζῶσιν ἀγαθόν, καὶ μάλιστα ἐὰν πρός τινων ἀδικῶνται· ἀεὶ γὰρ ὁ θεὸς ὅτε ἦν ἐν ἀνθρώποις ἐπήμυνε τοῖς ἀδικουμένοις καὶ ἐτιμώρει. τοῖς δὲ παρανομοῦσι καὶ τοῖς ἄδικόν τι πράττουσι πονηρὸς ὁ θεὸς διὰ τὸν αὐτὸν λόγον. ἀγαθὸς δὲ τοῖς ἐπὶ ἀγῶνα[2] ἢ δίκην ἢ μάχην τινὰ πορευομένοις. Καλλίνικός γὰρ ὁ θεὸς καλεῖται.*

Nova exempla, Roscheri Lex. l. l. addenda, proferam haec: Luciani deor. dial. 16: *εἰπέ μοι, ὦ Καλλίνικε* (sic Diogenes Herculis simulacrum adfatur). Titulum Erythraeum (BCH IV 1880 p. 159 no. 8, cf. Dittenberger OGIS ad no. 53): *[Καλλίν]εικον Ἡρακλέα.* Titulum Aegyptium (JHS XXI 1901 p. 290 no. 11 = Ditt. OGIS no. 53): *Ἀπόλλωνι Ὑλάτηι, Ἀρτέμιδι Φωσφόρωι, Ἀρτέμιδι Ἐνοδίαι, Λητοῖ Εὐτέκνωι, Ἡρακλεῖ Καλλινίκωι Ἀπωλλώνιος διοικητής.* Iuliani conviv. p. 325 A.: *τοῦ Καλλινίκου τοὐμοῦ βασιλέως, οὗ θεράπων ἐγὼ καὶ ζηλωτὴς ἐγενόμην.* Etiam cum Dioscorus poeta Aegyptius saec. p. Chr. n. VI stratiarchum Callinicum encomio honoraturus esset, Hercule tamquam prototypo Callinici usus est (Maspéro, Revue d. étud. Grecques XXIV 1911 p. 448):

1sq. *Ὕμνον*[3] *ἀναστήσαιμι χοροστολίης σέο δόξης*
τοῦ πολυκυδήεντος Καλλινίκου στρατιάρχου ...
9sq. *τούνεκα μὲν καλέω σε πανάλκιμον Ἡρακλῆα*
ὅς ῥα καμὼν πόρε πᾶσιν ἐλευθερίης παναρωγήν ...

---

[1] Paeane quoque a vocibus *Ἰὴ Παιὰν Ἥρακλες Ἀσκληπιέ* incipiente Herculem celebravit, ubi Hercules *ὁ Καλλίνικος ἅμα τῷ Σωτῆρι* coniunctus erat (II p. 330 K.).

[2] Quae res optime illustratur Heliodori *Aethiop.* l. IV capite 16 (p. 115 B.).

[3] De Dioscori hymno cf. Wuensch *P-W.* IX p. 173.

18 *οὕτως ἄμμιν ἵκανες, καλλίνικος στρατιάρχης.*

Aristides loco supra laudato omnium deorum unum Herculem epitheto Callinici ornari enuntiaverat; quod eum in universum recte dixisse nobis quoque concedendum est. Nam quod in Euripidis Bacchis Liber pater *Καλλίνικος* vocatur (v. 1145 sqq., cf. 1161), hoc poetice ab altero ad alterum deum translatum est, neque tamen ex illis verbis concludere licet Liberum a sectatoribus Callinicum vocatum et cultum fuisse. Parum constat de titulo Mytilenis invento IG XII 2, 127: *Καλλίνεικον Ἥλ[ιον?] | Πομπήϊος Ἤθικος.* Paton ipse in add. p. 139 dicit „valde dubito. Multo probabilius est *Καλλίνεικον* esse nomen hominis". Si re vera de Sole agitur, haud scio an cogitandum sit de versione Graeca nominis latini Solis Invicti. Quod plerumque voce *Ἀνείκητος* exprimitur; sed ut in titulis latinis et Hercules victor et Hercules invictus (Wissowa[2] 272; 275; 278), in Graecis *Ἡρακλῆς Καλλίνικος* et *Ἡρακλῆς Ἀνείκητος* (Athen. Mitt. XXXVII 1912 p. 29 adn. 1) occurrunt, ita *Ἥλιος* quoque etiam *Καλλίνικος* vocari potuit. Nihilominus hominis nomen praeferendum videtur, quoniam adiectivum *καλλίνικον*, nomini dei *Ἥλ[ιον]* antepositum, offensioni est neque de tituli tempore satis constat.

Denique quod in scriptis Hermeticis summus deus *Καλλίνικος* audit[1], nescio unde hoc fluxerit. Aut tritum Herculis epitheton usurpatum est ad augendam summi numinis gloriam, aut, cum vox inveniatur in encomio imperatorum ac deus ipse *βασιλεύς* nominetur (cf. adn. 1), spectat ad cognomen regium *Καλλίνικος*. Nam inde ab aetate, quam hellenisticam vocamus, Callinici cognomen regibus Seleucidarum aliisque inditum esse nemo nescit. Iam quaestio oritur, utrum cognomen regium

---

[1] Reitzenstein *Poimandres* XVIII 9 p. 357 sq.: *ἡκέτω τοίνυν ὁ μουσουργὸς πρὸς τὸν μέγιστον βασιλέα τῶν ὅλων θεόν, ὃς ἀθάνατος μέν ἐστι διὰ παντὸς ⟨πρυτανεύων⟩ ἀΐδιός τε καὶ ἐξ ἀϊδίου τὸ κράτος ἔχων, Καλλίνικος ⟨δὲ⟩ πρῶτος, ἀφ' οὗ πᾶσαι αἱ νῖκαι εἰς τοὺς ἑξῆς φέρονται διαδεξαμένους τὴν Νίκην.*

seiungendum sit a nomine Callinici privatis hominibus saepissime imposito[1], necne. Nomen Callinici hominibus privatis inditum non necessario ad Herculem referendum esse etsi concedo (cf. adn. 1), attamen aliter de cognomine regibus imposito iudicandum esse puto, quippe quod proxime accedat ad cognomina illa sacrae notionis velut *Εὐεργέτης*, *Σωτήρ*, *Ἐπιφανής* alia. Cum hisce iam Plutarchus, Coriol. 11 cognomen *Καλλίνικος* comparavit. Ut Hercules, fortitudinis virilis exemplar, omnes hostes superavit, ita rex, utpote deorum simillimus, eodem epitheto ornatur.[2] Haud aliter Hadrianus quoque Nicomediae *Ἡράκλιος Καλλίνεικος* audivit, ubi comparatio cum Hercule, quem proavum colebat, in propatulo est.[3]

Epitheti Constantino impositi vim singularem nemo non videt: is *Καλλίνικος* vocatur, quod eo imperante religio christiana victrix e discrimine evasit.[4] Martyres denique, qui fidei

---

[1] E. Sittig *Diss. Phil. Hal.* XX 1 p. 121 nomen *Καλλίνικος* a theophoris segregavit, minus recte autem mihi disputasse videtur eo, quod ad firmandam suam sententiam nomen *Ἀλεξίκακος* adhibuit et hoc modo ratiocinatus est: „Etenim si illud ad deum pertineret, quae esset causa, cur non nomen quoque *Ἀλεξίκακος* aliaque hominibus imposita essent?" Callinicum sane unus quisque Graecus filiolum appellare potuit Herculis etiam immemor; eo enim nomine imposito magica quadam vi puero victoriam in omnibus vitae bellique laboribus et aerumnis exoptavit, neque aliter nominibus velut *Ἀλεξήνωρ*, *Ἀλέξανδρος* similibus uti ei licebat. Quis autem, quaero, h o m i n e m appellare potuit *Ἀλεξίκακον*? Nonne dis solis tantum potestatis proprium est, ut *ἀλεξίκακοι* esse possint? Haec ergo causa est, cur nemo hominum Alexicaci nomen receperit, multi autem Callinici.

[2] Cf. Lucian. *Zeux.* 11: *οἱ Μακεδόνες δὲ ὅσοι σὺν Ἀντιόχῳ ἦσαν, ἐπαιώνιζον καὶ προσιόντες ἄλλος ἀλλαχόθεν ἀνέδουν τὸν βασιλέα καλλίνικον ἀναβοῶντες.*

[3] A. de Domaszewski *Philol.* LXXI 1912 p. 320. *Καλλίνικος* saepius in papyris imperatoribus inditum est, cf. A Zehetmair *De appellationibus honorificis in papyris graecis obviis*, Diss. Marpurg. 1912 p. 10.

[4] Vox saepe usurpatur in Eusebii vita Constantini; unus sufficiat locus (I 41 p. 27 Heikel): *ἔθνη δὲ πάντ' ὅσα ὠκεανῷ τῷ κατὰ δύνοντα ἥλιον περιωρίζετο, τῶν πρὶν συνεχόντων κακῶν ἠλευθερωμένα, πανηγύρεσι φαιδραῖς ἐνευφραινόμενα τὸν κ α λ λ ί ν ι κ ο ν τὸν θεοσεβῆ τὸν κοινὸν εὐεργέτην ἀνυμνοῦντα διετέλει, φωνῇ τε μιᾷ καὶ ἑνὶ στόματι κοινὸν ἀγαθὸν ἀνθρώποις ἐκ θεοῦ χάριτος οἱ πάντες Κωνσταντῖνον ὡμολόγουν ἐπιλάμψαι.*

victoriam vitae pretio redimebant, iure ac merito *καλλινίκους* nominatos esse quis neget? Eis non minus raro quam antiquitus Herculi, cuius labores interdum cum martyrum aerumnis comparantur[1], illud epitheton impositum esse multa probant exempla, e quibus unum tantum afferre sufficiat, scilicet inscriptionem anni p. Chr. n. 515, quae tota versatur in conferenda ethnicorum cum christianorum religione (CIG 8627; Dittenberger, OGIS 610; Prentice, Greek and Latin Inscriptions 437a): *Θεοῦ γέγονεν οἶκος τὸ τῶν δαιμόνων καταγώγιον· φῶς σωτήριον ἔλαμψεν ὅπου σκότος ἐκάλυπτεν· ὅπου θυσίαι εἰδώλων, νῦν χοροὶ ἀγγέλων,* (*καὶ*) *ὅπου Θεὸς παρωργίζετο, νῦν Θεὸς ἐξευμενίζεται. Ἀνήρ τις φιλόχριστος, ὁ πρωτεύων Ἰωάννης, Διομήδεως υἱός, ἐξ ἰδίων δῶρον Θεῷ προσήνεγκεν ἀξιοθέατον κτίσμα, ἱδρύσας ἐν τούτῳ τοῦ καλλινίκου ἁγίου μάρτυρος Γεωργίου τὸ τίμιον λίψανον, τοῦ φανέντος αὐτῷ Ἰωάννῃ,* (*καὶ*) *οὐ καθ' ὕπνον, ἀλλὰ φανερῶς. ἐν ἔτι θ' ἔτους υι'.*

Appendix II

Φιλάνθρωπος

(ad pag. 25)

Exempla epitheti *φιλάνθρωπος* Aesculapio impositi novi haec[2]: CIG 6813 = CIL III ad no. 1422 = Cagnat, IGR I 546 *Ἀσκληπιῷ καὶ Ὑγιείᾳ θεοῖς φιλανθρώποις Ἄξιος Αἰλιαν[ὸς] ὁ νεώτερος εὐχαριστήριον Ἰόνιος.* Dumont-Homolle, Mélanges p. 437 no. 103 = Cagnat, IGR I 826 *Αὐρήλιος ναύκληρος, θ[ε]ραπευτὴς τοῦ φιλαν[θρ]ώπου θεοῦ Ἀσκληπιοῦ κτλ.* Aristides in Aesculapii hymno soluta oratione composito (II p. 337 § 12 K.): *Ἐμοὶ γάρ, ὦ δέσποτα Ἀσκληπιέ, πολλὰ καὶ παντοῖα, ὥσπερ ὑπεῖπον, παρὰ σοῦ καὶ τῆς φιλανθρωπίας γεγένηται.* II 320 § 31 *ὁ δὲ θεὸς καὶ θεῶν ὁ πραότατός τε καὶ φιλανθρωπότατος*

---

[1] Krumbacher *Abhandl. d. Bayr. Akad.* XXV 3 p. 4: S. Georgius regem Datianum adloquitur: ⟨*τίνα μείζονα διακρίνεις, τὰ παλαίσματα*⟩ *Ἀνταιῶνος καὶ Ἡρακλέους ἢ τῶν μαρτύρων τοὺς ἀγῶνας καὶ στεφάνους;*

[2] Tria iam Thraemer indicavit, *P-W* II p. 1678, quae J. Keil l. l. recepit et ego novis subsidiis aucta repeto.

προέχειν ἔκρινεν. Asclepiadum laudatur *ἐπιστήμη τε καὶ φιλανθρωπίᾳ* (316 § 15), cf. *ὑμεῖς δὲ τῇ ὑμετέρᾳ πραότητι καὶ φιλανθρωπίᾳ* (319 § 24). Proclus quoque, haud aliter atque Aristides Aesculapio religione et ut ita dicam familiaritate coniunctus, dei humanitatem testatur (Marinus, vita Procli 31): *εἶδε δέ, ὡς ἐδόκει, ἥκοντά τινα ἐξ Ἐπιδαύρου καὶ ἐπικύψαντα εἰς τὰ σκέλη, καὶ οὐδὲ τὰ γόνατα διὰ φιλανθρωπίαν ἀπαρνησάμενον φιλεῖν.*

Bis apud Aristidem voces *φιλανθρωπία* et *πραότης* coniunctas fuisse nobis in animum venit Aelianum legentibus, qui n. a. VIII 12 de serpente *παρείας* nominato dicit: (*ἐστὶ*) *πρᾶος· ἔνθεν τοι καὶ τῷ φιλανθρωποτάτῳ θεῶν ἱερὸν ἀφῆκαν αὐτόν, καὶ ἀπεφήμισαν Ἀσκληπιοῦ θεράποντα εἶναι οἱ πρῶτοί μου ταῦτα ἀνιχνεύσαντες.* Alio quoque loco Aelianus Aesculapii humanitatem praedicat, scilicet sub finem historiae miraculosae, cuius auctor Hippys Rheginus est (cf. Weinreich, Heilungswunder RGVV VIII 1 p. 81 sqq.): *ὦ βασιλεῦ καὶ θεῶν φιλανθρωπότατε Ἀσκληπιέ κτλ.* Haec verba Aeliani esse, non auctoris quem secutus est, vix necesse est dictu. Atque optime haec res congruit cum ceteris testimoniis, quippe quae omnia recentioris aetatis sint. Etiam si Aesculapio relicto transimus ad alios deos, perpauca exempla vocis *φιλάνθρωπος* ab antiquioribus scriptoribus dis inditae invenimus. Solos Aristophanem et Platonem afferre possum testes, sed valde spero a viris doctis alios nominatum iri, qui me fugerunt. Aristoph. pac. 393 sq.: (*Ἑρμῆ*) *ὦ φιλανθρωπότατε καὶ μεγαλοδωρότατε δαιμόνων.* Plato leg. 713 D: *ὁ θεὸς ἄρα καὶ φιλάνθρωπος ὤν*, Symp. 189 D: (*Ἔρως*) *ἔστι γὰρ θεῶν φιλανθρωπότατος, ἐπίκουρός τε ὢν τῶν ἀνθρώπων καὶ ἰατρὸς τούτων, ὧν ἰαθέντων μεγίστη εὐδαιμονία ἂν τῷ ἀνθρωπείῳ γένει εἴη.* Reliqui testes multo recentiores sunt, velut Plutarchus de Pyth. orac. 16 p. 402 A Eretrienses et Magnetas laudans, qui Apollinem colunt *καρπῶν δοτῆρα καὶ πατρῷον καὶ γενέσιον καὶ φιλάνθρωπον*, aut Lucianus, bis accus. 1: *πάντα γὰρ ταῦτα ὑπὸ φιλανθρωπίας οἱ θεοὶ ποιοῦσι*, deor. concil. 6, 3 (Iuppiter et alii dei) *πέρα τοῦ μετρίου φιλάνθρωποί*

(εἰσιν), Prom. 6 πάνυ φιλανθρώπου τοῦ Διός, aut Aristides II 360 § 26 K. (Serapis) φιλανθρωπότατος ... θεῶν καὶ φοβερώτατος ὁ αὐτός, 308 § 17 (Minerva) φιλανθρωποτάτη δὲ ἡ αὐτὴ καὶ δυνατωτάτη. Nonne Mygdoniae verba supra p. 25 allata nobis in mentem revocantur Xenophontis Ephesii loco V 4, 10: ὦ θεῶν ... φιλανθρωπότατε (Apis dicitur), ὁ πάντας οἰκτείρων ξένους, ἐλέησον κἀμὲ τὴν κακοδαίμονα? Alio loco Nilus praedicatur eo genere dicendi adhibito, quod Eduardus Norden egregie illustravit (p. 168 sqq. „Der Relativstil der Praedikation"), IV 2, 4: ὦ θεῶν ... φιλανθρωπότατε, ὃς Αἴγυπτον ἔχεις, δι' ὃν καὶ γῆ καὶ θάλασσα πᾶσιν ἀνθρώποις πέφηνεν κτλ. Usque ad Iuliani tempora ἡ ... φιλανθρωπία τοῦ θεοῦ praedicatur (p. 300 B). De Veneris φιλανθρωπίᾳ cf. Catal. codd. astrol. Gr. VIII 2 p. 156. Fortasse silentio non praetereundum est vocem φιλάνθρωπος in hymnis orphicis non usurpatam esse.

Haec hactenus. Exempla vocis φιλάνθρωπος ea tantum afferre in animo habui, quae ad deos spectant, totam autem vocis historiam adumbrare, ne dicam amplecti, nolui. Quae materia sudore sane digna propriam desiderat dissertationem, cuius exemplar commentatio Ricardi Reitzenstein „Werden und Wesen der Humanität im Altertum" (Argentor. 1907) esse potest.[1]

Vox quae deis haud ita saepe imponitur, frequentissimum regum et imperatorum epitheton fit inde ab aetate hellenistica. „Kaum eine andere Tugend wird so oft am hellenistischen Herrscher gerühmt, wie die φιλανθρωπία" (Wendland, Hell.-röm. Kultur^2 407 adn. 4, cf. p. 221). Nec non christiani in sermone cum sacro tum profano creberrime adhibuerunt illam vocem[2], ita ut ad extremum quo tritior eo vilior fieret.

---

[1] Nonnulla ad historiam vocis φιλάνθρωπος pertinentia congessit C. Buck *De Chionis epistulis*, Diss. Giss. 1912 p. 8. Egregias animadversiones exhibet Hirzel *Plutarch* p. 23 sq.

[2] Recte Deissmann *Licht vom Osten*^{3} 275 adn. 11 φιλάνθρωπος una cum aliis verbis nominat, quibus cognoscimus „den Parallelismus zwischen der christlichen Kultsprache und den Formeln des Kaiserrechtes und Kaiserkultes".